



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Parallela Confessionis Avgvstinianae, Et Avgvstanae

Hänlin, Georg

Friburgi Helvetiorum, 1592

VD16 H 131

urn:nbn:de:hbz:466:1-29407



Th. 1162.

f VIII
27

PARALLELA
CONFSSIONIS
AVGVSTINIANAE, ET
AVGVSTANAE.

OPPOSITA

PARALLELIS IOANNIS
CVIVSDAM PAPPI, LVTHERANISMI
Doctoris: quæ nuper in lucem publicam referre
non dubitavit.

A V T O R E

GEORGIO HAENLIN, SS. THEOLOGIAE
Doct. & apud Archiducalem Academiam Friburgen-
sem Professore, & summi templi ibidem
Parocho.

CVM EPISTOLIS DV ABVS AD
*eundem Pappum, scriptis à Ioanne Pistorio Nidano,
S. Theol. Doct. &c.*



Friburgi Helvetiorum.
Ex officina Typographica Abrahami Gemperlini.
M. D. XCII.

PARALLELISM
CONFESSIONIS
AUGUSTINIANAE ET
AUGUSTINAE

OPPOSITA
PARALLELIS IOANNIS
EVISSAMI PABRI ET THEOPHILII
DOCTORIS PONTIFICIS SACRORUM
NON DUBITANT


AVTOR
Georgio Henrico, SS. THEOLOGICAE
- DOCT. PUBL. IN AUSTRIAE ACADEMIA
SACRORUM THEOLOGICARUM
LANTHE

CVM EPISCOPO D. HENRICO
EVISSAMI PABRI SACRORUM
THEOLOGICARUM DOCT. PUBL.



Typographia
LANTHE

M. D. XXII



REVERENDISSI-
MO IN CHRISTO PATRI
AC DOMINO, DOMINO CASPARO
MONASTERII S. BLASII IN HERCYNIA
Sylua ABBATI, Domino suo summa obseruantia semper
colendo, Salutem & perpetuam felicitatem in CHRISTO
IESV unico Salvatore nostro.

DEBITANT, & controvertunt nonnulli non
im merito hodie, REVERENDISSIME
PRAESVL, sit ne per omnia probandum
studium omnium illorum, qui scriptis explicare,
& tueri conantur, contra horum temporum se-
ctarios Ecclesiae unigeniti Filij Dei Sponsae articulos, & dogma-
ta: nunc maxime, quando nullus penè articulus restat, qui non
iam ante sit à viris omni ex parte absolutissimis copiosissime ex-
plicatus, & à corruptelis Adversariorum fortissime vindicatus.
Ego illud quidem, sicuti non per omnia probare, ita multo minus
in universum improbare possum. Ut namq; si indifferenter, &
sine delectu quique patrocinium causae Dei, & Ecclesiae eius in
rebus fidei suscipiāt, vix fieri potest, quin aliquando tenuius mul-
tò id fiat, quàm rerum tantarum vel dignitas, vel incomprehen-
sa maiestas requirunt: ita e contra si rei tantae, tamq; utili & ne-
cessariae nullus prorsus humeros suos submittere velit, caeteri non
potest, quin apud multos, imperitos maxime, & in diuinis minus
exercitatos periclitetur plurimum veritas, & aeterna salus. Fa-

A 2 Etum

EPISTOLA

Etum hinc est, ut licet ego nihil in hoc genere tentare temere, magis vero horas à docendi munere in Ecclesia, & Schola vacuas privatæ pietati, & devotioni impertire semper mecum deliberassem; tamen iam in arenam ab Adversario protractus, partibus meis nullo modo deesse, sed veritatis defensionem pro parte virili mea promptè & alacriter suscipere voluerim: confisus in eo, cuius causam ago. Illo igitur iuvante, rem de qua mecum Adversarius contendit, tam perspicuè, & ipsius Adversarij, & Lectorum oculis subijciam, ut nisi uterq; in luce meridiana cecutire velit, non videre modo, sed manibus etiam contrectare ipsissimam veritatem debeat omninò. Et primùm quidem res ipsa etiam me tacente pro se loqui, & victoriam nobis polliceri videtur. Quid enim magis à vero alienum? quid à iudicio & consensu omnium omninò hominum & populorum magis abijctum proponi potuisset, vel posset adhuc, quàm quod Adversarius ausus fuit? nimirum magnum, imò maximum & invictissimum illum hereticorum omnium victorem, splendidissimum Ecclesiæ Catholice lumen, & Doctorem prorsus divinum **AVGVSTINVM** de multis opinionibus hereticorum Lutheranorum, vel Calvinistarum, qui omnes hæreses antiquas ex ipso Orco postliminio quasi revocârunt, & revocâr indies, vel etiã paucissimas, easq; vel per somnium probasse, nêdum in omnibus cum ipsis conspirasse, & unam eandemq; docuisse sententiam. Tantum sanè res hæc ab omni non tantum vero, sed & veri specie apud me semper absuit, ut quum anno proximè elapso Nonagesimo à sanctissima memoria Principe, Marchione Badensi Iacobo, &c. in Otense Junio ad Disputationem, vel colloquium potius quoddam, quod inter novum antiquæ Fidei tironem tunc fœlicissimum; iam verò eius-

DEDICATORIA.

ro ejusdem vera, Catholica, & Romana fidei Confessorem con-
stantissimum, Reverendum Dominum M. Ioannem Zehende-
rum, Illustrissimi & Reverendissimi Principis ac Cardinalis ab
Austria Episcopi Constantiensis, &c. Concionatorem aulicum
& Ioannem Pappum Argentorati verbi Lutherani Mini-
strum, institutum erat; prater expectationem omnem meam evo-
carer, neque minima de negotio isto cogitandi relictā mihi mora
esset; tamen quia gratificari, & obsequi in re tāta tanto Principi
cupiebā, accurrere statim, & libros nullos post Breviarium meū.
Ecclesiasticarū precū. q̄ Canones Sacrosancti Concily Tridētini,
& Confessionem Augustinianā, quam Reverendus Pater Tor-
rensis, Societatis Iesu Theologus doctissimus, ex operibus D. Au-
gustini omnibus magno quide studio & labore fidelissimè collegit
exportarem mecum. Idq̄ hoc consilio & fine; quia non ad dispu-
tandum, sed ad testandam Catholicorum sententiam, si ab Ad-
versariis pro cōsuetudine corrūperetur, interesse Colloquio iussus
erā, ut si forte opus esset, ex ipso Concilio, quid Ecclesia Catholica
sentiret, recitarem, idq̄ statim post Scripturas testimonio Sancti
Doctoris Augustini, cuius majorē, quā aliorū apud adversa-
rios autoritatem esse sciebam, continuo & liquido coprobarent.

Sed ecce quid fit? inter disputandum (erat autem Disputatio
tota de Ecclesia) cum efflagitatum ab Adversario ad nauseam
esset, ut aperitē, an Ecclesiam veram in terris semper publicam,
& visibilem fuisse crederet, sine dissimulatione confiteretur; & il-
le tandem meticulosè rem affirmasset: tūm rursus inter alia mul-
ta petitum sapenūmō fuit, ut vel unum hominem, qui ante Lu-
therum intra annos mille, & quingentos, idem per omnia, quod
Lutherus sensit & credidit, sensisset & credidisset, uno verbo no-

EPISTOLA

minaret: sic enim fore, ut si unum produxisset, nos cessuri, & pal-
 mam ipsi in hac controversia ultrò delaturi essemus. Itaq; ille
 rursus diu cunctans, & in omnes se partes convertens, primò qui-
 dem quendam obscurum hominem Georgium Heimbergerum
 enuntiavit, qui in Concilio Basiliensi contradixit Pontifici: sed
 iussus dicere, an omnem eum, qui contradicit Pontifici, Luthera-
 ranum habendum censeret; quia absurditatem si affirmaret, va-
 nitatem si negaret, prævidebat, obmutuit planè, & conticuit, nisi
 quòd diverticula varia de obscurata per Antichristi tyranni-
 dem Ecclesie fide & doctrina frustra quæreret. Cui cum nos di-
 ceremus, responsuros protinus omnibus; modo is prius directè pro-
 posita quæstioni satisfaciens, eloqueretur; posset ne, & vellet pro-
 dicere talem Lutheranum ullum in isto longissimo tempore, nec-
 ne? ille rursus diu in priori inani refugio, à quo depelli se non pa-
 tiebatur, tempus consumpsit. Tamen cum se eo Achille, in quo
 tantoperè confidebat, exutum denudatumq; videret, & ad pro-
 positum à nobis revocatus esset, tandem veluti coactus, pro Luthera-
 no, qui in omnibus cum Luthero sensisset, nominare virum
 sanctissimum D. Augustinum, Doctorem inter Catholicos, &
 Papistas Catholicissimum, & summè Papistam, non dubitavit:
 sed id vehementer timide, & nescio quid protestans; sine dubio,
 quòd conscientia illum intus propria confutaret. Ubi ego rei no-
 vitate attonitus, & obstupescens, hominis vel temeritatem, vel
 imprudentiam non ferens diutiùs, humillimè ab Illustrissimo
 tunc, nunc autem Sanctissimo Principe petita venia, & conces-
 sione, primùm DEVM, & Sanctos eius contestans, deinde pro
 more hominum manu stipulatus, cum Princeps confirmasset, san-
 ctè recepi: si Augustinum probaverit Pappus fuisse per omnia
 Durcho

DEDICATORIA.

(durchaus) ut Princeps disertissimis verbis expressit, Luther-
 ranum, quod & ego Lutheranus futurus essem: modo Pappus eo
 contrario, si ego non Lutheranum, sed Catholicum & Papistam
 fuisse Augustinum probassem, Papistam & Catholicum se fu-
 turum consentiret. Quod cum is eadem fide, qua ego spondisset,
 & ad probandum suam partem tempus trium mensium & pe-
 risset & accepisset, tandem post menses novem vel circiter Pa-
 rallela quadam exhibuit, & sparsit in publicum; in quibus illud,
 quod in se recepit, probare voluisse, videri voluit. Et quidem, ut
 quod res est, fatear, si ad rem probandam qualiacumq; apta, vel
 inepta afferre testimonia, est rem probare, probavit cumulate. Sin-
 illa tantam probandi vim habent, qua in rem conveniunt, pro-
 bavit profecto de rebus controversis omnino nihil. Nam pleraq;
 vel potius omnia, exceptis ijs, qua ad Articulos sumtos à Catho-
 licis, & Confessioni Augustanae cum Catholicis communes, sine
 prorsus ulla causa apposuit, ad id ostendendum non magis faciunt,
 quam si per ea Hominem esse Asinum demonstrare voluisset.
 Quod ad verba pertinet, corripit nihil, posuit omnia dextre, &
 sincerè: verum quoad sensum, pervertit omnia, adduxit omnia
 ineptissimè, absurdissimè, malitiosissimè, ut mirer hominem in re
 tam manifesta adeo auctoritatem suam, quam non prorsus nul-
 lam apud suos habere dicitur, prostituere voluisse. Et quidem ne
 ego, qui si non hostis (sicuti Deo teste hostis non sum; amicus ma-
 gis & frater in Christo esse cupio) saltem adversarius videor, si in
 re propria testimoniū feram, suspectus habear; loqui ipsum Pap-
 pum, & testimonium dicere sinam; qui in initio, & in Prefatio-
 ne Parallelorum tanquam presentiens miseriam suam, scribit
 publicè: Se non dissiteri, quin contraria etiam ex San-
 cto

Eto Augustino produci possint testimonia. Quid vero
 Pape? (tecum enim paucis agere libet) illa testimonia, quae ex
 Augustino contra te producuntur, aut vere contraria sunt tibi,
 & sectae tuae, aut non sunt: Si contraria vere sunt: quomodo cum
 secta tua per omnia Augustinus convenit? quomodo per o-
 mnia est Lutheranus? Si non vere contraria sunt, quomodo con-
 traria? Cur non illa in specie, & ^{paucis} tantum contraria po-
 suisti? Cur non diluisti? Cur non conciliasti cum tuis? ut constaret
 omnibus, magnum illum virum non interdum, sed semper, non
 dimidium, sed totum à partibus stetisse vestris. Ibi certe tibi su-
 dadum fuisset, et illa certe res labore tuo digna fuisset. Et si enim
 Catholici nos in nullius, nisi Ecclesiae Catholicae, & Doctorum eius
 unanimum consensum, doctrinam & fidem consentimus, & con-
 spiramus, tanti tamen virum hunc fecimus semper, facimus, &
 faciemus, ut si vestrum illum probare possetis, magnum profecto
 scrupulum indecissetis nobis, si insici ullus posset. Deinde Pape, si
 vir iste contraria scripsit & sensit, & vester est: an non animad-
 vertis, quantam iniuriam facias Sectae tuae, quam inde aequè ac
 D. Augustini sententiam dubiam & falsam facis? At neque
 contraria sanctus vir scripsit & sensit, neque vester est. Sanctus est
 constans est: noster, & vester non est. Si quaedam minuta incon-
 sideratiùs juvenis, & catechumenus scripsit, correxit vir factus,
 et retractavit. Docebunt hoc apertissimè Parallela haec mea tuis
 Parolis oppositas in quibus quae tu pro te, & tua Secta affers, con-
 futo, & ostendo, mala te fide in viri sanctissimi libris & testimo-
 nijs versari: non quidem quoad v. rba, sed quoad sensum: & in-
 epta esse tua omnia, indigna viro literato: mea vero ex eodem fir-
 missimè confirmo, licet brevissimè. Neque enim omnia, quae potuis-
 sem,

DEDICATORIA.

sem, apponere volui sed aliqua tantum eaq̄ per pauca, partim
quia nimis longum fuisset, partim quia id copiosissime à R. P.
Torrensi Societatis Iesu Theologo in Confessione Augustiniana
præstitum est; à quo qui Augustinum ipsum evoluerè non vo-
lunt, reliqua petere possunt; Ego præter hoc, quod ipse præstitit,
hic nihil præstiti, nisi quòd sanctissimi viri testimonia Ar-
ticolis singulis, vel ad confutandum, vel ad confirmandum subje-
ci eo ordine, quem in tradendis illis Pappus secundum Augusta-
nam Confessionem retinuit, & secutus est. Et quidem in omni-
bus istis studui, ut libris non uterer alijs, quàm ys ipsis, qui etiam
Adversariorum iudicio & testimonio, illustrissimi Doctoris ger-
mani & legitimi sunt; vel si Adversarij dubitant, Augustini
esse, probari possunt; sicut & editione, quam Pappus secutus est,
sequi volui, non quidem quòd in his, & similibus istorum homi-
num censura, & iudicio standum esse putarem; sed ut de legiti-
mis, & non legitimis istius sancti viri libris, hominibus ad conten-
tiones natis, occasionem omnem disceptandi, præscinderem: præ-
sertim cum testimonia ex utrinq̄, receptis libris ad manum habe-
rem satis multa. Sed en Pappè largiar tibi, ut liberalitatè meam
videas, miserear tui, & concedam, quæ apertissime falsa sunt: con-
cedam inquam S. Augustinum in omnibus Articulis Confessio-
nis Augustanae sensisse vobiscum; an propterea Lutheranus e-
rit? non puto sic inepties, ut affirmes. Ipse enim scis, esse multa,
quæ vos damnatis se verissime; Sanctus autem Augustinus pro-
bavit, docuit, credidit apertissime, firmissimè. De istis verò Con-
fessio vestra, vel nihil prorsus, vel certè tam tectè habet, ut qui eru-
ere ista inde velit, quodam Oedipo, vel acutissimo divinatore a-
dio omninò opus habeat: talia sunt pleraque, quæ de Sacramento

B

Eucha.

EPISTOLA

Eucharistia credimus, Transubstantiatio, Adoratio, Permansio extra usum, Asservatio ejus, Cultus Reliquiarum, Superioritas Summi Pontificis, & alia his similia quamplurima. An igitur qui hæc per se faciunt, & credunt, & per alios facienda & credenda esse firmiter persuasum habent, sicut Augustinus habuit, Lutherani vobis erunt? Nihil de Ubiquitate monstruosa vestra dicam, pro qua tantopere hodie tanquam pro focus & aris cum toto pæne mundo contenditis. Non tam peregrinum te in tuorum esse scriptis existimo, ut ignores nonnullos ex illis sponte sua confessos, scripsisse publicè, non omnia, quæ à Lutheranis credenda sunt, in Confessione vestra contineri; sed aliqua tantum, quibus Catholicos minùs offendi, & faciliùs ad sententiam vestram sequendam adduci posse, speravistis: dissimulata nonnulla ab illius Confessionis architectis studiosè, tradita obscurè multa fuisse, donec illorum proponendorum, & illustrandorum melior aliquando, & optatior affulgeret commoditas. At non est contra Dominum consilium, non tam stulta & fatua Sancta Dei Ecclesia est, ut ejusmodi ineptijs decipiatur, & palpum obrudi sibi sinat; immota veritas est, mendacio nunquam assentitur. Non te præterit, nec tu negas Confessionem vestram, tanta arte, astutia & fraude contextam, conscriptamq; fuisse, ut non sit hæreticum monstrum tam horrendum ullum, quod non sub illa occultare hæctenus se voluerit, atq; etiam sedulo occultarit. Ex quo sequitur necessario; non omnem, qui omnia Confessionis vestrae aperta capita amplectitur & credit, Lutheranum esse; sed requiri prætereà, ut præter, & contra illa credat alia multa. Tu igitur Pape, quantumvis (per impossibile) consensum Articulorum Confessionis Augustanae cum Augustino probares, probabis autem

nun-

DEDICATORIA.

nunquam, & ne quidem in speciem externam probabis; tamen Lutheranum in omnibus fuisse, quod te probaturum esse promiseras, per ullam potentiam Dei, etiam absolutam confirmabis nunquam. Apage igitur sis cum isto tuo de Sancti Augustini cum tua Confessione temerè & ineptissimè jactato consensu: Catholicus est Sanctus Augustinus; Papista est; Lutheranus, vel Calvinista non est. Summum, & maximum beneficium, quod tibi & tui similibus à patre misericordiarum per Filium ejus unigenitum Salvatorem & Redemptorem nostrum unicum Iesum Christum ardentissimis interioribus votis precor, & exopto, illud est, ut Augustini sectatores esse possitis doctrina, fide, vita & exemplo; nihilq; credatis, nisi quod credidit Sanctus Augustinus: sic enim eadem opera pariter Papistæ futuri essetis maximi. Et hoc certè de te viro alioquin neque inhumano, neque prorsus indocto sperare jubet cognominis tui ad Papistarum nomen affinitas & allusio: una namq; litera rejecta, ex Papista, qualis jam es, & diceris, fies Papista. Et verò fies, si fidem tam sanctè datam liberare volueris; si abjectis errorum tenebris in lucem veritatis clarissimam aspicere, & oculos extollere serio cogitaveris; si mundi illecebras præ amore Dei, veritatis, sempiternæq; felicitatis contemseris, & cogitationem omnem in consideranda appropinquantis ultimi & novissimi judicij severitate attentissimè defixeris; si res terrenas & fluxas præ æternis contemnendas, & abjiciendas esse perpenderit; si velle contra stimulum calcitrare, verbis Christi ad Apostolum suum Paulum, admonitus, durum & durissimum esse judicaveris. Sed quia hæc solius Dei, & gratiæ divinæ, non humanarum sunt virium, is qui Apostolum prostravit, ro-

gandus est, ut & te prosternat, non ad exitium, sed ad salutem perpetuam. Amen. Amen.

Sed pergo; & ceteras Praefationis, sive Epistola Pappistica reliquias persequor brevissimè, & primo loco, quae ad rem propositam potissimum pertinent. Inter cetera scribit Pappus, se admonuisse, quòd suas Opiniones ex eodem Augustino defendere Papistae soleant, & nominasse Hieronymum Torrensem Iesuitam Dilinganum. 2. ludicem Augustini, & Causae totius Scripturam constituisse. 3. Stipulationem meam, quòd à se repetetur, habuisse pro iniqua. 4. Sperare, quòd formulae, & sponsioni satisfactum sit, postquam ad omnes & singulas Conclusiones Confessionis Augustinae, etiam ad illas, quae à nonnullis exagitatae, tamen à modestioribus Pontificijs admittantur, sancti viri clara testimonia apposuit. 5. Nihil nos proficere, sed causam Pappi adjuturos potius, si contraria testimonia proferemus. 6. unum illud ad demonstrandum nobis incumbere, quòd mala fide in citandis verbis S. Augustini usus sit Pappus; quòd nisi fecerimus, nobis periculum sponsionis hujus praestandum esse, qui hoc nexu nos obligaverimus.

Ubi meritò quis dubitet, an Pappus omninò semel animum ad memoriam rerum Ementingae gestarum retulerit; nihil enim illorum dictum vel factum ab ipso fuit toto Colloquij tempore; sed simpliciter, & nudè sine circuitionibus vel ambagibus affirmatum & repetitum ab eo, cum Illustrissimus Princeps aperte moneret, fuit; D. Augustinum esse, & fuisse prorsus, &
in omni

DEDICATORIA.

in omnibus (Germanicè *Durchaus in Allem*) Lutheranum; & hoc nisi probaverit, se Pappum futurum Papistam. quid Catholici faciant, vel quid R. P. Torrensis fecerit, nullo verbo Pappus meminit: meminit M. Laurentius Scheürlinus, qui ab Illustrissimo Badensi Marchione Principe Ernesto Friderico fratre sanctissimi Jacobi Principis missus fuerat, Lutheranus verbi in aula Durlacensi Declamator, & tum primum cum inter me & Pappum sponsio jam facta esset: nec aliter dixit, quam ad sponsionem probandam meam, non opus esse magno negotio, postquam ante me in re eadem Torrensis Iesuita, copiosissime laborasset. Itaque ex his solis Lector Christianus, & neutri parti plus aequo favens cognoscet facillimè, quid de Pappo sit sentiendum, qui ista omnia malitiosè confingit, & ut causam falsam defendat, ne quidem pudori suo parcat, sed tergiversando, fingendo, deflectendo, Lutheri Doctoris sui naturam & ingenium exactè, & ad vivum refert. Lutheranum nominare debebat Pappus, qui per omnia cum Luthero, in nullo cum Papistis consentiret: id dum voluit, Augustinum produxit, quem ipse, oblitus verecundiae & thesis, fatetur alijs locis contra Lutheranos sentire cum Papistis, & partim esse Lutheranum, partim Papistam. Illud verò praesertim admiratione dignum est, quòd iniquam à se judicatam esse sponsionem scribere non dubitat, cuius nullo verbo, quod sciam, meminit: vel certè si meminit, inscitiam suam ipse prodidit, & vermem, qui conscientiam arrodit, intus sensit. Quomodo enim iniqua apud illum sponsio esse potuit, si verè, & ex animo Augustinum Lutheranum esse judicavit? aut si scivit Augustinum Lutheranum non esse, vel certè vacillare in religione; cur tanquam Lutheranum, & in

EPISTOLA

omnibus Lutheranum produxit? qua conscientia? Nihil certe adhuc hodie æquissimum esse videretur, qui à me Catholico requireret, ut ea omnia palàm profiterer, quæ is professus est, quem ego per omnia Catholicum Papistam, & Romanensem fuisse, & dicerem & serio sentirem. Deinde nec iniqua sponsio esset, si suberer à Religione mea discedere, si is, quem tanta asseveratione in omnibus Catholicum, & Papistam, & Romanensem esse confirmassem, mecum non consentiret. Quid verò Pappus cogitet, nescio; iudicium permittam omnibus, & pergam. Scribere prætereà Pappus audet, eo satisfacisse se sponsioni, quòd ad Articulos singulos, & illorum Conclusiones, testimonia ex D. Augusti fideliter quoad verba apposuerit. At Deus bone, quid dicit Pappus? an de verbis Augustini, & non magis de sensu pacti sumus? & si illud satisfacere est; cur non puerum alphabetarium conduxit, qui verba ex Augustino casu arrepta non minùs appingeret, quàm Pappus fecit; potuisset puer aliquis æquè conscribere conclusiones multas, & singulis, non ex Augustino tantum, sed ex profanis & sacris testimonia apponere plura, quàm Pappus fecit, & quidem quoad verba fidelissimè, apice prætermisso nullo, immò integra potuisset describere Biblia, & integrum Augustinum. In eo igitur omnia posita sunt, non an testimonia adscripserit Pappus; sed an apta, & ad rem pertinentia. Nam si testimonia quæ adiecit, in Conclusiones non conveniunt; si conclusiones de cepis, testimonia de alijs loquuntur; an probasse ipsam quicquam aliquis dixerit? non arbitror: dicemus potius, quod S. Evangelista de Iudæis falsis in Christum testibus dixit; Et convenientia testimonia non erant. Quod certè in Parallela Pappi, & in Pappum optimè quadrat. Primum, testimonia

DEDICATORIA.

ex Augustino non omnibus, & singulis Lutheranorum conclusionibus subiecit, quod facere tamen maximè debebat, si sponsoni satisfacere, & Augustinum Lutheranum per omnia fuisse probare voluisset. Deinde illa quæ subiecit, adeò absurde & ridicule ad rem propositam accommodavit, ut illum & Lutheranos omnes merito pudere tam infelicis partiùs debeat: ubi nemo, etiam acutissimus, minimam testimoniorum cum conclusionibus connexionem perspicere potest, ut in progressu libri planissimè probabimus. Non igitur satisfacit sponsoni; immò ne voluit quidem, cum impossibile esse videret. Fucum obycere Lectori, & quoquo modo, non præstare sponsonem, sed quasi præstaret, videri voluit: & eò multa tanquam si in colloquio, & in libro gesta, vel facta essent, refert; de quibus ne cogitatū quidem fuit unquā.

Iudicia varia hominum de sponsoni Pappi, quæ ab initio statim Præfationis commemorat, aliter non curamus, nisi quòd eorum sententiam verissimam fuisse scimus, qui existimarunt, futurum nunquam, ut vincat Pappus sponsonem, & præstet, quod in se recepit: quod idem hæc nostra Parallela apertissimè convincent. Tandem verò quid de petulantissima Pappi illa in Catholicos calumnia dicam? ubi dicere & scribere palàm audet; Catholicos Sacrarum scripturarum autoritatibus, non quorumcunque proprijs, sed utrisque communibus testibus ita constrictos, & devinctos esse, ut sicut olim hæretici, sic nunc Catholici in ipsarum Scripturarum accusationem jam dudum sint conversi; quasi Scripturæ sacræ non rectè habeant, neq; sint ex autoritate, &c. Quis enim Catholicorum Pappæ, dic Pappæ, si homo es, si Christianus videri cupis; dic Pappæ, quis Catholico-
corum

EPISTOLÆ

eorum Scripturas sacras accusavit, vel exiit auctoritate? an Papi-
 pista ullus unquam negavit, veritatem immotam in Scripturis
 contineri, & loco summi maximiq; beneficij, quod benignissi-
 mus Deus generi humano impertivit, habendam esse, Scriptu-
 ram? Quis Papiſta unquam aliter docuit, prædicavit, publiceq;
 professus est? Dic Pappæ, si homo es; aut si dicere non potes; cur
 falsum dicis? Non omnia credenda in sacris haberi, & sacras
 Scripturas sæpè obscuras, & difficiles esse, & quando de interpre-
 tatione earum controvertitur, non ad privatam quemcunq;, sed
 ad Ecclesiam totam recurrendum esse, docuerunt & docent Ca-
 tholici. Reliqua quæ tu affingis, ne per somnium quidem cogi-
 tarunt unquam. Et quidem veram esse Catholicorum illam
 sententiam, sensisti in Colloquio, cum te, & tuos, Dominus M.
 Joannes Zehenderus, qui tibi oppositus fuit, (non enim me Prin-
 ceptis tibi opposuit, sed illum) in hoc eodem negotio ita refutavit,
 ut tu defatigatus, alteri cuidam ex tuis assidentibus verbi Lu-
 therani inclamatoribus colloquendi locum eò usq; concederes, do-
 nec ambo turpiter dejecti, et devicti essetis. Loca Scriptura, quæ
 se Pappus in Præfatione non procul ab initio, tum objecisse com-
 memorat; fatemur prolata fuisse, sed ineptissime, & ante tem-
 pus, ut nos à proposito abduceret, & ne cogereetur visibilis Eccle-
 sia, quam confessus fuerat, visibilem aliquem Doctorem nomi-
 nare, qui ante Lutherum intra annos mille quingentos vixisset,
 & cum Luthero sensisset in omnibus. Ne tamen Pappus sub isto
 involucro diutiùs se abscondere posset, meminere procul dubio,
 quid tum responsitulerit, & quomodo ista loca sic explicata fue-
 rint, ut verum esset; & Apostolorum ætate fuisse; & deinde se-
 cundum vaticinium Christi, & Apostolorum, reliquis seculis
 adhuc

DEDICATORIA.

adhuc plures futuros; qui Ecclesiae doctrinam vi tota, & machinis omnibus, ut Lutherus, Zwinglius & nostri temporis heretici fecerunt, impugnaturi essent: & e contrario, Christi doctrinam, & Ecclesiam eo usque progressuras, ut cum ipsis Ecclesia universalis & tota simul errare, & erroribus illorum consentire debeat: Tum dictum fuit; nusquam id in Scriptura haberi, ne quidem per unum iota, multo vero minus per loca à te citata significari. Ad didimus posse fieri, ut una & eadem res propter suscitatas haereses tradatur uno tempore plenius, & expresse magis, quam alio; & id exemplo Sanctissimae Trinitatis planum fecimus. At ut erret Ecclesia, vel in totum desinat & deficiat, fieri non posse, probavimus ipsis Christi promissionibus, quae fallere non possunt. Hac Pappus non semel, sed iterum atque iterum, licet à Deo oclusis mentis, auribus, audivit. Audivit etiam ex Lutheri libro **Wider Hans Wursten** idem confirmari, cum Illustrissimus Princeps ex isto libro sequentia verba praelegeret; ubi Lutherus suus inquit: **Die Kirch kan nit lügen noch irrtumb lehren / Auch nit in einigem stück. Lehrt sie ein lügen / so ist sie ganz falsch, es muß ganz Liecht / vnd kein stück finsternuß da sein** | *id est, Ecclesia non potest mendacia & errores docere, & ne quidem in articulo uno; sed si mendacium unum docet, tota falsa est: cum sit necesse, Ecclesiam esse meram lucem, ne parte quidem una tenebrarum conspersam, &c.* Quibus & alijs verbis ex **Luthero** à sanctissimo Principe praelectis, ita consternatus est Pappus, ut assidenti Ministro Lutherano, praconi Ementingensi clam, sed sic tamen, ut facile ego ex opposito sedens audirem, in aurem diceret: **Quid Dominus responderet ad istum locum?** Neque cum cogitandi diligentius de loco isto integrè notis

conces-

EPISTOLA

concessum spatium haberet Pappus, manè reversus quicquam ad rem afferre potuit, sed ad tituli, sive inscriptionis Libri explanationem magno cum optimi & patientissimi Principis stomacho temerè se convertit. Atq; istæ artes sunt Pappi. Sed credo desinet nunc gloriari, & fumos suos amplius nō vendet. utinam verò impetrari posset Pappæ, ut magis gloriam dares Deo, & veritati in manifestissima luce concederes; nè nox te tenebrarū sic constringat, ut oculos postea ad lucem videndā aperire amplius nō queas. Locum Egesippi, quem te protulisse affirmas, an protuleris, non recordor; dubito magis: sed ut ut est, quid attinet ad rem? Idem enim docet, quod testimonia priora Scripturæ docent: venisse, qui Ecclesiam, ejusq; salutarem doctrinam oppugnarent, non autem expugnarent; nec in Ecclesia futuras hæreses, sed extra illam. Sed ista in quem usum Pappæ? aic si audes & potes. unū restat, quod Pappus se in colloquio proposuisse recitat; nimirum, cum ipsa Pontificia doctrina actum iri pessimè, si ad vetustatis examinari regulam debeat; cū in Ecclesia Pontificia multa sint nova, quorum ex ipsis Scriptoribus Pontificijs origines ostendi possint. At mi Pappæ, scis quid tibi responsum sit, ut taceres; nempè, si de Fide, & Fidei essentialibus partibus sermocineris, falsissimum esse, quod dicis; eandem enim Fidem quoad dogmata essentialia in Ecclesia nostra semper ad nos usq; permansisse: Sin de quibusdam, quæ accesserunt, criminationem intelligas, frustra id à te dici, & illis Fidei unitati nihil præjudicari; sed ordinandi atq; statuendi illa potestatem à Christo sponso suo Ecclesiæ concessam & relictam esse plenissimā; cū Religionem ornent, & perficiant suo modo, non immutent. Nihil in Fide novavit Ecclesia, multa vel dubia, vel non satis accuratè
 explica

DEDICATORIA.

explicata confirmavit & illustravit. Sed nimis multa ad Pap-
 pisticæ præfationis ineptias: Itaq; me revoco, & Lectorem rogo
 ut ipse legat attentus omnia: & seposito iniquiore affectu, liberi-
 mè de tota caussa judicet. Quod si faciet, non dubito, quin ipse exi-
 stimaturus sit, Pappum non quod debuit, sed quod in falsa causa
 potuit, fecisse; at certè quod voluit, consecutum non esse: Ideoq; si
 vir bonus esse velit, Papiam fieri debere Pappū, nec habere, cur
 recuset. Sed mitto Pappum, & ad te Præsul Ampliſſime, tan-
 dem me confero, cui certè quicquid hoc est laboris & studij, conse-
 crare & volui lubens, & debui meritò. Id humanitas præclara,
 qua non me tantum, sed & inprimis Reverendos, Ampliſſimos
 & Clariſſimos viros affecisti, Dominū Iohannem Pistorium Ni-
 danum, & Dominum Iodocum Lorichium, Sacrosanctæ Theo-
 logiæ Doctores, &c. Dominos & amicos meos honorandos, cum
 in inçlyto tuo Cœnobio Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Principis
 ac Domini, Domini Andrea Cardinalis ab Austria, Episcopi
 Constantienſis, &c. Principis ac Domini mei Clementiſſ. juſſu &
 mādato Viſitationis munus exequeremur. Neq; humanitas tan-
 tum exhibita, sed ſingularis etiā tua in literatos omnes pro-
 pèſio meretur, & multa alia, quæ in te ſunt clariſſima, pietas ma-
 xima, virtus, & ſollicitudo in vita monaſtica inter Fratres, qui
 in cœnobio tuo ſunt, inſtituēda ad Monaſtica vitæ ſanctiſſimam
 regulam. Deinde cura & induſtria tanta, ut nuſquā facile in to-
 ta hujus Provinciæ amplitudine, vel numero plures, vel doctrina,
 vitæ ſanctimonia, pietate, religione in Deum præcellentiores, vel
 ſenio & annis venerabiliores inveniantur vitæ monaſticæ ſectato-
 res, quā in tuo iſto monaſterio: cuius indicium eſt, quòd ex illorum
 numero haud pauci alijs etiā Monaſterijs, ut præſint, cupidiffimè

EPIST. DEDICATORIA.

diu jam expetantur, qui tuo exemplo sancto instructi, laudabili-
ter susceptum præsulatus officium & munus hæcenus administra-
runt. Taceo jam sapientiam, prudentiamq; in te tantam, ut Sere-
nissimus Archidux Austriae Ferdinandus, Princeps, & Domi-
nus meus clementiss. meritissimò te tanquam de Repub. utraq;
Ecclesiastica, & Civili multis maturæ prudentiæ testimonijs, plu-
rimùm, optimeq; meritum, in Consiliariorum suorum numerum
cooptari: & ad res expediendas maximas adhiberi jusserit. Sus-
cipe igitur, Reverendissime Præsul, veteri benevolentia tua me,
laboremq; meum, & defende autoritate tua cõtra calumniato-
res. Deinde, quod hæcenus fecisti, Academiam nostram incly-
tam Friburgensem, quæ in amplissimo posita Serenissimi Ar-
chiducis Ferdinandi dominatu, clarissimam inter alias Germa-
nicas Scholas pietatis ac doctrinae lucẽ, & uberrimos fructus in or-
bem terrarum emittit, prosequere favore, & cõplectere benigni-
tate. DEVS Pater Domini nostri IESU Christi Reverendissi-
simam Dominationẽ tuam sibi & nobis ad nominis sui gloriam,
quàm diutissimè in homine utroq; sanam & incolumem conser-
vet. Data Friburgi in ædibus Parochialibus ex Nussæo meo;
VIII. Augusti, Anno M. D. XCI.

Reverendissimæ Dominationis
Tuæ

Cbsequentissimus;

GEORGIUS HAENLIN, SS. Theolog.,
D. Professor & Parochus majoris tem-
pli ibidem.

PARAL-



PARALLELA
CONFESSIONIS
AVGVSTINIANAE, ET
AVGVSTANAE.

AD conficiendum commodè, & quàm rei de qua agitur, amplitudo, patitur brevissimè ostendendam nimirùm D. Augustinum nō Lutheranum, sed verè Catholicum, id est, ut nunc nominant, Papistam fuisse, majoris perspicuitatis causa, duplicem hunc Syllogismum toti negotio præmittere, totiusq̃ negotij Summam eo complecti visum est.

Prior.

NEque est, neq̃ esse potest Lutheranus, qui dissentit à Lutheranis in omnibus ijs, in quibus dissentiunt ab iisdem Catholicis.

At D. Augustinus dissentit à Lutheranis in omnibus istis, in quibus dissentiunt ab iisdem Catholicis.

Ergò D. Augustinus neque est, neque esse potest Lutheranus.

Posterior.

CAtholicus sine dubio est, qui in omnibus cum Catholicis sentit & credit.

D D, Augu =

D. Augustinus in omnibus sentit & credit cum Catholicis.

Igitur D. Augustinus sine dubio Catholicus est.

In utroque Syllogismo propositionem Maiorem tam veram & perspicuam existimo, ut nullum Adversarium tam pugnacē futurum unquam putem, qui eam sit negaturus, vel in dubium vocaturus. In probanda itaq; utriusq; Minori laborandū erit, ostendendumq; de Confessionis Augustanę Articulis omnibus & singulis Lutheranos in iis, in quibus à Catholicorum doctrina discrepant, discrepare pariter, & non minus etiam à doctrina Augustini: convenire verò é contra & pulcherrimè consentire magni illius Doctoris & viri sententiam, cum sententia Catholicorum.



CONFESSIO NIS AV-
GVSTANÆ

ARTICVLVS I.

DE VNITATE ESSENTIAE DIVI-
na, ac de tribus personis.



ARTICVLVS hic per omnia Catholicis cum Confessionistis communis est, prout quidem in Confessione ponitur; si tamen quidam ex Confessionistis de hoc eodem alibi quædam inconsideratiùs scripserunt, hoc anxie discutere non est huius loci, ideo que ad secundum progredior.

ARTICV-



ARTICVLVS II.

DE PECCATO ORIGINIS.

IN hoc etiã Articulo convenit Catholicis cū Confessionistis. Primò, quòd post lapsum Adæ omnes homines secundùm naturam propagati nascantur cum peccato. Secundò, quòd hic morbus seu vitium Originis sit verè peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum sanctum. Tertiò, quòd benè meritòque damnentur Pelagiani & alij, qui vitium Originis negant esse peccatum, & ut extenuer̄ gloriam meriti & beneficiorum Christi, disputant, hominem propriis viribus rationis coram Deo justificari posse, prout habent Conclusiones Articuli huius 1. 3. & 4. Ideoquē ad testimonia ex D. Augustino in confirmationē illorum, sicut & alia, in quibus communis est & retinetur doctrina, respondere, nihil est opus, sicut neq; Pappo fuisset opus proponere. Moneo tamen, multò commodiora non deesse in Augustino.

Dissensio est Primò, de descriptione peccati huius, quod in Conclusionē II. describitur ita; *ut nasci in peccato hoc, sit nasci sine metu Dei, sine fiducia erga Deum & cum concupiscentia.* Secundò; quòd concupiscentiã quam vitium Originis esse dicunt, sic peccatum esse volunt, *ut etiam post Baptismum remaneat in puero.* Ad Prioris confirmationem affert Adversarius, primò, Augustinum Epistola CVII. ad Vitalem Carthaginensem Tom. 2. col. 497. a. Sed frustra & absurdè: aliud enim nō dicit Augustinus isto loco, quàm Diabolum sicut alia opera mala, ita & in primis maximèq; infidelitatem & infidentiam operari; sed undè quæso sequitur, in istis naturam essentiamq; peccati Originalis consistere? maximè cum ibi de adultis loquatur; ut ex eo patet, quòd disputat contra Pelagianum, volentem homini ad consentiendum bono, nō necessariã esse gratiam. Quòd si verò hæc ex peccato Originali descendere velit; esto: sed nihil lucrabitur; neque enim & hæc, & alia peccata suo modo ex peccato Originali esse negavimus unquam;

quam; at si omnia quæ ex peccato hoc quoquo modo sunt, peccatum ipsum facere velint, quid monstri alituri sint, ipsi viderint: neminem tam stupidum, & Philosophiæ omnis ignarum putamus, ut rei naturam cum effectibus ejus confundere velit.

De secundo loco D. Augustini, quem ad probandum idem affert ex lib. 6. contra Iulianum Pelagianum Cap. 5. Tom. 7. col. 1119. a. b. idem iudicium est. Ex eo namq; plus nõ probat, quàm hominem ex fidelibus prognatum nasci infidelem, id est, sine fide, & fide carentem, non ita, ut quid quod Deo adversum sit actu credat, sed quòd fide, qua id quod credendum erat credat, adhuc careat, quod dicimus in Scholis, nasci infideles privativè, non positivè. Sed etsi positivè infideles essent, qui ex fidelibus nascuntur ante Baptismum; quid Pappo, & suis hinc accederet? quid obtinerent, nisi hanc infidelitatem esse peccati hujus effectum, sicut & alia mala? Quorsum verò hoc spectat?

Apud Catholicos illa sententia plurimùm obtinuit, Essentiam peccati originalis consistere in carentia Iustitiæ Originalis, quoad ejus formale, vel in aversione quadã habituali voluntatis nostræ à Deo, relicta in ijs, qui communi propagationis lege ex parentibus suis nascuntur, ex peccato primo primi parentis; quam etiam D. Augustinus expressè habet, lib. 3. de peccatorum merit. & remiss. Cap. 7. Tom. 7. col. 726. A. Cæterùm in sanctis Canonicis libris viget hujus sententiæ clarissima & plenissima autoritas. Clamat namq; Apostolus: Per unum hominem peccatũ intravit in mundum. Vndè nec illud liquidè dici potest, quòd peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat; In quo omnes peccaverunt; nec sic dicuntur ista alièa peccata, tanquam omninò ad parvulos non pertineant, siquidem in Adam omnes tunc peccaverūt, quando in ejus natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt; sed dicuntur aliena, quia ipsi nondum agebāt vitas proprias, sed quid quid erat in futura propagine vita hominis hujus continebat.

Idem lib. 6. cont. Iulian. Pelagianum cap. 8. Tom. 7. col. 1129. D.

Hoc ergò vitium non potest nisi reatu tenere hominẽ, quamvis ejusdem mali bono usu de castis conjugibus procreatum.

Idem

*Idem lib. 1. de Nuptijs & concupiscent. Cap. 26. Tom. 7.
col. 825. A.*

Nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in æternum manebit; sic illius concupiscentiæ, quando remittitur, reatus aufertur.

*Idem lib. 1. de peccat. merit. & remiss. Cap. 39. Tom. 7.
col. 689. C.*

Ipso verò soluto reatus vinculo, quo illam Diabolus animam retinebat, & interclusione destructa, quæ hominem à suo Creatore separabat, maneat in certamine, quo corpus nostrum castigamus & servituti subijcimus. &c.

Quòd si is idem quandoque in locis aliis peccatum Originale Concupiscentiam appellat, intelligi debet juxta significatum ipsius materiale.

Non immeritò ergò quis miretur, qua fronte Pappus conetur hic inter cætera persuadere nobis, D. Augustinum sensisse, Concupiscentiam, quæ post Baptismum reliqua est, esse peccatum; cum ejus contrariū apertissimè habeat in locis ab ipso Pappo citatis, scilicet lib. 1. de Nuptiis & Concupiscētia ad Valerium Cap. 23. Tom. 7. col. 823. b. c. item lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Cap. 13. col. 872. c. neque hoc tantum, sed & quomodo, & qua ratione peccatum vocetur, indicet ibidem, ex professo & instituto eos, qui peccatum esse volebāt propriè refellens in locis iisdem. Addit alibi, scilicet lib. 6. contra Iulianum Cap. 5. Tom. 7. col. 1122. b. ut & ipse Pappus citat; malum quidem eam esse, sed nequaquam peccatum. Verba ejus sunt: Tu autem Iuliane, qui putas, quòd si malum esset Concupiscentia, careret ea qui Baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo; quod planiùs ita dicitur; Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis; nunquid caret corruptione corporis? Et iterum lib. 1. de nuptijs & concupiscentia Cap. 23. col. 823. b. c. Nam ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea perpetret à regina mente membra non dan-

tur, ut si non sit quod scriptum est, Non concupiscas: fiat saltem quod alibi legitur: Post concupiscentias tuas non eas.

Neque dissimulandum hîc est, Pappum & socios ejus, quando pro sua sententia Augustinum citant, ita citare, quasi diceret, per Baptismum fieri, non ut concupiscentia non sit peccatum, sed ut non imputeretur in peccatum, cum tamen nusquam apud Augustinum legatur, per Baptismum non fieri, ut concupiscentia non sit peccatum, sed tantum, non fieri ut concupiscentia non sit, prætermissa voce Peccatum, significans hoc ipso, manere quidem concupiscentiam; quod clarissimè liquet; sed tamen non esse peccatum. Neq; elabitur Pappus, dum scribit, Augustinum in locis citatis, non simpliciter negare, concupiscentiam esse peccatum, sed tantum quodammodo, cum tamè simpliciter neget, si de peccato loquamur propriè apertèq; significet, illam peccatum non esse, nisi valdè impropriè, illo dicendi modo, quo vel causa nomine sui effectus, vel effectus nomine suæ causæ appellatur. Id quod vel hinc etiam clarum fit, quòd cum apud D. Augustinum, non habere peccatum, & reum nõ esse peccati, unum & idem sit, prout ipsius verba disertè habent libr. 1. de nuptijs & concupiscentia cap 26. Tom. 7. col. 825. b. Is verò, qui habet concupiscentiam post Baptismum, secundum paulò antè citata verba, peccati reus non sit; sequetur certò etiam, & infallibiliter, quòd peccatum talis non habeat. Expressissimè autem, quantum à sententia adversariorum absit hîc Augustinus, intelligitur ex verbis ipsius lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap 12. Tom. 7. col. 872. c. Cum enim objiceret ipsi Pelagianus quæspiam: Dicunt, Christiani scilicet, Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere; ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, respondit ille: quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus enim, baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere; nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, undè crescant iterum refecanda peccata. Iterum contra duas Epistolas Pelagianorū lib. 3. cap. 3. Tom. 7. fol. 895. d. Baptismus abluit peccata omnia prorsus omnia factorum, dictorum,

rum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admiffa sunt, &c.


His similia legere est lib. 3. de Symbolo ad Catechum. Tom. 9. col. 1128. c. &c. Idem respondetur ad Glossas Iuris Canonici, & Canones citatos, asserere scilicet, Præterire peccatum originale reatu, manere actu; deleri nè obfit, non ut non sit; non deleri, sed debilitari: item, Non tolli quoad essentiam sui; non hoc sensu, quòd de ipso aliquid sit & remaneat in renatis, quod vere & propriè peccatum sit, sed in eo, ut velint manere illud quoad materiale iuum, id est, concupiscentiam, & effectus nō nullos, sicuti verba glossarum citatarum, si tota ponerentur, seipsa explicarēt, verba enim glossæ in cap. Ille rex tantus. de pœnitentia distinct. 3. Non. 2. ut Pappus posuit, expressè, cum primùm de peccato originali loqui cœpissent, sub finem clarissimè tradunt, nil aliud isto loco se peccatum vel iniquitatem nominare, quàm fomitem peccati, qui maneat ad pœnam tantùm, non culpam; & adhuc apertius in Cap. Non ex quo. dist. 4. de consec. Glossa testatur, remanere originale actu, id est, remanere quasdam pœnalitates, cum quibus homo pugnet. Vbi candorem Pappi desideramus: Taceo, quòd non omnes Glossæ adscriptæ ad textus Iuris Canonici ab Ecclesia sunt approbatæ, sicut glossam. c. si concupiscentia. C. 15. q. 1. Gregorius XII. explicauit. hæc Pappus legere debuisset. Quæ etsi extra institutum nostrum sint, siquidem de Augustini sententia tantùm disceptatio suscepta sit, obiter tamen attingere volui, ut hinc etiam constet, quanta iniuria Glossis à Pappo fiat.

Eadem responsio adhibeatur ad quinq; proximè subjuncta ex D. Augustino loca, ostendere scilicet ista, manere concupiscentiam, quam ipse ex Apostolo Legem peccati repugnantem legi mentis appellat, in sensu sæpiùs dicto; sed non in minimo illam peccatum esse verè & propriè, quod damnationem mereatur ex Augustini sententia convincere. Quod verum esse liquidò perspiciet, & fatebitur, qui locum cum loco contulerit, quæ præcedunt & sequuntur, diligentius consideraverit. Ad illud tamen lib. 5. contra Iulianum Pelagianum cap. 3. Tom. 7. col. 1066. a. b. In quo potissimùm tanquam in apertissimo confidit, facilis & expe-

expedita est responsio ex ipso textu, loqui sanctū virum de Concupiscentia per Baptismum nondum sublata.

Ad ultimum extract. 41. in Ioannem, Tom. 9. col. 309. d. 310. a. appellat ibi concupiscentiam peccatum in sensu multoties exposto, scilicet, vel quia est ex peccato, vel quia, nisi resistatur illi, est via ad peccatum.

Alios errores, quos Lutherani fovent circa peccatum hoc, maxime dum tam tragicè hoc exaggerant, *ut nullaratione, vi & efficacia Sacramentorum istud tolli posse, dum hic vivimus, doceant, indeq; cum summa injuria passionis Christi & meritorum ejus concludunt, Omnia opera hominum esse peccata; Observationem Legis impossibilem esse; Fidem solam omnia prestare; Iustitiam & sanctitatem nullam in homine prorsus inveniri, & his similia multa, quia præterit Pappus, prætereo eadem; nimis enim prolixum foret, omnibus refutandis immorari velle, nequaquam autem difficile idque ex solo Augustino. Quia itaq; Pappus ex Augustino de illis, quæ inter nos de peccato Originali controversa sunt, pro sententia sua nihil prorsus adduxit; nos verò demonstravimus, in ijs omnibus sentire D. Augustinum nobiscum: Concludimus & Pappum injuriam fecisse sancto viro, & manere immotum, in isto Articulo Augustinum esse Catholicum. Quod & in cæteris pariratione etiam si non nominemus, tamen conclusum volumus.*



ARTICVLVS III.

DE PERSONA ET DVABVS NATURIS Christi.

FTIAM in omnibus hujus Articuli assertionibus convenit inter partes, prout hinc quidem positæ sunt. Monstrum Ubiquitatis, quod ex falsa hujus gravissimi Articuli, & à sæculo absconditi mysterij explicatione fabricarunt, & per vim exstruxerunt, D. Augustino nunquam cognitum, sicut & errorem Lutheranorum de Mediatore Christo secundum naturam utramq; sciens prudensq; prætereo.

ARTI-



ARTICVLVS IV.

DE IVSTIFICATIONE.

IN hoc Articulo nil falsi vel incommodi habet Conclusio Prima, in qua dicitur; *Homines non posse justificari coram DEO proprijs viribus, meritis aut operibus*; sicut & Tertia, quæ assertit: *Christum sua morte pro nostris peccatis satisfecisse*. Ideoq; rectè & meritò tanquam Augustini & nostræ, ex Augustino probantur. Secunda quæ affirmat; *Homines justificari gratis propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum*: quoad id, quod habet, homines justificari gratis, conceditur: si autem dicere velint, ex parte Hominis ad justificationem prorsus nihil requiri, quàm fidem, & quidem fidem, quâ quisq; credat, id est, firmiter sine ulla trepidatione & formidine statuat se certò recipi in gratiam propter Christum; ab Augustino apertissimè dissentiunt. Illum enim ex parte hominis ad justificationem plus quiddam, quàm fidem requirere, non quidem per modum meriti ullius, si de justificatione prima loquamur; sed dispositionis, quæ ipsa tamen etiam est à gratia DEI præveniente, excitante & movente, palàm est ex sequentibus locis.

Augustinus lib. de gratia & lib. arbit. cap. 15. Tom. 7. colum. 1314. b.

Nè autem putetur, nil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideò in Psal. dicitur: *Nolite obdurare corda vestra; Et per ipsum Ezechielem: Projicite à vobis omnes impietates vestras, quas impiè egistis in me, & facite vobis cor novum, & spiritum novum; & facite omnia mādata mea. Meminerimus Deum dicere; Sed convertimini & vivetis. Cui dicitur; Convertete nos Deus, meminerimus Deum dicere: Projicite à vobis omnes impietates vestras; cùm ipse justificet impiū. Meminerimus ipsum dicere: Facite vobis cor novum, & spiritum novum, qui dicit: Dabo vobis cor novum; & spiritum novum dabo vobis: quomodo*

E modo

modo ergò quod dicit; Facite vobis; hoc dicit, Dabo vobis? Quare jubet, si ipse daturus est? quare dat, si homo facturus est, nili quia dat quod jubet, & adjuvat, ut faciat, cui jubet. Confimilis locus sermone. 13. de verbis Apostoli. Tom. 10. colum. 315. a. b. Quotquot enim spiritu DEI aguntur, &c.

Idem lib. de fide & operibus cap. 14, col. 68. a. b.

Quare jam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, nè mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putaverint; benè autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum non intellectis quibusdam subobscuris sententijs Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere; Faciamus mala, ut veniant bona. Et, paulò inferius. c. Quoniam ergò hæc opinio, scilicet, Quòd sola Fides ad salutem sufficeret sine operibus, tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ Epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, cõtra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant; Fidem sine operibus nil prodesse; sicut etiam ipse Paulus, non quamlibet fidem, quã in Deum creditur; sed eam salubrem, planèq; Euangelicam definiuit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. His similia multa leguntur in toto isto libro, maximè cap. 15. 22. 24. 26. &c. Item

Idem Serm. 16. de verbis Apostoli panè per totum, maximè col. 341. a. Tom. 10.

Incipit homo à fide; Quid pertinet ad fidem? Credere. Sed adhuc ista fides discernatur ab immundis spiritibus; Ad fidem quid pertinet? Credere. Sed ait Apost. Iacobus: Et Dæmones credunt & contremiscunt. Si tantum credis, & sine spe vivis, vel dilectionem non habes, & Dæmones credunt & cõtemiscunt; quid magnum est?

Idem Serm. 61. de verbis Domini, Tom. 10. col. 22 & d.

Sed multum interest, utrũ quisq; credat ipsum esse Christum, & utrũ credat in Christum: Nam ipsum esse Christum, & dæmones crediderunt, nec tamen in Christum dæmones crediderunt.

runt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum: Nam si fidem habet sine spe, ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum veniet in eum Christus, & quoquo modo unitur in eum, & membrum in corpore ejus efficitur. Quod fieri non potest, nisi & spes accedat, & charitas.

Idem Tractatu de utilitate pœnitentiæ, cap. 1. Tom. 9. colum. 1019. a. b.

Cùm ergo spina illa recordationis cordis compuncti (Judæi) dicerent Apostolis, Quid ergo faciemus? ait illis Petrus: Agite pœnitentiã, & baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Domini nostri IESV Christi; & remittuntur vobis peccata. Ergo interim nunc si qui fortè assunt ex eo numero, qui baptizari disponunt, credimus enim eos adesse tantò ad verbum studiosiùs, quantò ad indulgentiam viciniùs; hos primùm paucis alloquimur, ut erigant mentes in spem, ament fieri quod non sunt; ode- rint, quod fuerunt.

Per fidem verò, intelligere D. Augustinum, non vanam persuasionem, vel fiduciam & præsumptionem de justitia propter Christum; sed in genere donum Dei, quo assentimur omnibus credendis, plus quàm manifestum est ex libro de spiritu & lite. ad Marcell. cap. 31. Tom. 3. col. 833 B. Vbi, cùm fidei significatio- nes plures adduxisset, monuissetque, aliam esse fidem, quam adhibemus cùm aliquid credimus; & aliam, quam damus, cùm aliquid pollicemur: primam definiens quasi, & describens subjun- git: De illa itaq; fide quærimus, utrum in potestate sit, qua credi- mus Deo, vel credimus in Deum: Et paulò post: Quid est enim credere, nisi consentire verum esse, quod dicitur?

Idem eodem lib. cap. 32. colum 834. A.

Nulli itaque dubium est, eam fidem ab Apostolo commen- dari, quã creditur Deo.

Idem contra duas Epistol. Pelagianorum Lib. 3. cap. 5. Tom. 7. col. 902. B.

Nostra fides, hoc est, Catholica fides, justos ab injustis, non o-
perum,

perum, sed ipsa lege fidei discernit, quia justus ex fide vivit; per quam discretionem fit, ut homo ducens vitam sine homicidio, sine furto, &c. elemosynarum largissimus, &c. cum suis tamen istis velut laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam & Catholicam teneat, ex hac vita damnandus abscedat.

Idem Epist. 112. Tom. 2. col. 526. B.

Et si qua alia in hac sententia eadem Divina autoritate conscripta sunt, cui non credere nefas ducimus; credere autem pietatis esse minimè dubitamus. Idem eadem Epist. aliquantò inferius, colum. 529. B. C. Nos totum credimus, & quòd resurrexerit, & quòd ab hominibus tunc visus & contrectatus sit, & quòd nunc vivat in cœlis, &c. Idem de peccatorum meritis & remis. lib. 2. cap. 31. Tom. 7. colu. 715. B. Nec fides omninò dicenda, quandoquidem fides ista definita est; Fides est sperandarum substantia, convictio rerum, quæ non videntur.

Neq; ostendet Pappus unquam, ab Augustino Fidem ita acceptam, sicut ipsi accipiunt hodiè; neq; etiam quicquam ad confirmandam sententiam ipsorum faciunt loca adducta. Quin verò primus ex Epistola 105. ad Sixtum, Tom. 2. col. 470. b. cum fide requirit timorem Domini, & orationis affectum. Sex proxime subjuncta loca aliud non ostendunt, quàm justificationem contingere nobis merito Christi, ad eam ex parte nostri requiri inter cetera fidem; sed neq; propterea Augustinus alia ab opere justificationis excludit, neq; fidem ita, ut ipsi accipiunt, unquam accipit in omnibus istis locis. Quod vel hinc clarum est, quòd pleraq; contra Pelagianos scripta sunt, qui ex proprijs operibus justificari hominem sentiebant. Quod neq; Augustinus, neq; Catholicorum ullus unquam dixit. Summatim; Quæcunq; opera præcedunt justificationem, in sententia D Augustini & Catholicorum omnium non merendi, sed disponendi vim habent. De his quæ sequuntur justificationem suo loco. Quòd fidei autem sapius & frequentius, quàm aliorum meminit, fit sicut ipse expressè dicit, quia initium, radix & fundamentum est omnis justificationis, atq; adeò bonorum omnium, quæ justificationem sequuntur, ut sequentia loca declarant.

Augusti-

Ex fide autem ideò dicit justificari hominem, nō ex operibus; quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ propriè opera nuncupantur; in quibus justè vivitur. Et paulò post. B. Et dicitur à vobis (Pelagianis); Fides est à nobis, cetera à Domino, ad opera justitiæ pertinentia: quasi ad ædificium nō pertineat fides; quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum. Eadem leges enarratione in Psalmum 34. Tom. 8. column. 1554. b. Fides ergò nostra in primogenitis nostris est. Quando custoditur fides nostra, cetera subsequi possunt. Item Serm. 38. de Tempore, Tom. 10. col. 637. b. Constat ergò neminem ad veram pervenire posse beatitudinem, nisi DEO placeat; & DEO neminem posse placere, nisi per fidem. Fides namq; est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium, &c. Et certè mirum est, quomodo Adversarij audeant pro se citare Augustinum, quasi solam Fidem ad justificationem requiri sensisset: siquidem non rarò ipse & Paulum, & seipsum explicet, dicatque, in quo sensu vel à Paulo, vel à se, Fide justificari hominem, dictum sit: maximè Lib. octoginta trium quæstionum, quæstione. 76. Tomo 4. col. 598. B. Quoniam Paulus Apostolus prædicans, justificari hominem per fidem sine operibus; nō benè intellectus est ab eis, qui sic acceperunt dictum; ut putarent, cum semel in Christum credidissent, etiamsi malè operarentur, & facinorosè flagitiosèq; viverent, salvos se esse posse per fidem, locus iste hujus Epistolæ (loquitur verò de verbis illis Jacobi 2. Vis autem scire o homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est) eundem sensum Pauli, quomodo sit intelligendus exponit. Item Serm. 15. de verbis Apostoli, Tom. 10. column. 330. B. Gratia salvi facti estis. Item Tract. 3. in Euang. Ioan. Tom. 9. col. 25. a. Accepimus enim de plenitudine eius, &c. Item Lib. de Fide & operib. cap. 14. Tom. 4. col. 68. Cum ergò dicit Apostolus, arbitrari se justificari hominem per fidem sine operibus Legis, nō hoc ait, ut præcepta ac professa fide opera justitiæ contemnantur; sed ut sciat, se quisq; per fidem posse justificari, etiãsi Legis opera nō præcesserint: sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum.

Conclusio IIII. tradens; *Hanc fidem imputare Deum pro iustitia coram ipso, Rom. 3. 28 & 4. 3. 5. 9. 11. 22. 23. 24. &c.* In sensu Adversariorum, scilicet, imputare nobis Deum hanc fidem pro iustitia, ita ut non verè iusti simus, sed tantùm habeamur propter Christum; est manifestè contra D. Augustinum, utpotè qui in pluribus locis impugnat sententiam volentium nos iustos esse iustitia quæ sit in DEO, & non illa, quæ sit in nobis à DEO: maximè verò lib. Epist. 120. cap. 30. Tom. 2. col. 90. d. Sicut ergò quod legitur, Domini est salus; non ea salus intelligitur, quâ Dominus salvus est, sed quâ salvi sunt, quos ipse salvos facit: sic cùm legitur, DEI iustitia, in eo quod scriptum: Ignorâtes Dei iustitiam, & suam volentes constituere; non est ita intelligenda, quâ Deus iustus est; sed quâ iusti sunt homines, quos gratia sua iustificat.

Idem Lib. de spirit. & litera, cap. 9. Tom. 3. col. 811. c.

Iustitia, inquit, Dei manifestata est; hanc ignorant, qui suam volunt constituere, & huic nolunt esse subiecti. Iustitia, inquit, Dei manifestata est; non dixit, Iustitia hominis, vel Iustitia propriæ voluntatis, sed iustitia Dei; non quâ Deus iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificat impium. Et post c. Iustitia autem DEI per fidem IESU Christi, hoc est, per fidem qua creditur in Christum. Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus; sic & illa iustitia Dei non quâ iustus est Deus: utrumque enim nostrum est; sed ideò Dei & Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur.

Idem lib. 3. contra duas Epist. Pelagianorum cap. 7. Tomo 7. col. 907. B.

Non enim propterea iustitia Dei dicitur, quoniam Deus iustus est; sed quia homini ex Deo est, &c.

Neq; quidquam his contrarium habet Augustinus in locis citatis à Pappo. In primo enim ex X. Confessionum cap. 43. &c. nil dicit Augustinus, nisi antiquos eadem qua nos fide salvatos esse; quod ultrò datur & verissimum est. Secundus ex lib. de spiritu & lit. cap. 9. contra Pappum est. Inquit enim disertè; hominem iustum esse non sua, sed Dei, non quâ Deus iustus sit; sed quâ hominem

nem induat; non dicit, imputer. Iterum, sicut fides dicitur Christi, nō quòd illā credat Christus, sed quia ejus largitate donatur nobis; sic & justitia nostra dicitur Christi, non quòd hac justus ipse sit, sed nos; quæ tamen nostra dicitur, quia ejus largitate donatur nobis. Ideoq; etiam utroq; loco isto pro nostra sententia uti volui. Tertius in Psalm. 32. fidei justitiam tribuit in sensu dicto. Quod & hinc probabilius fit, quòd pugnam in justo requirit. Imputationis istius nè verbulo quidem meminit. Quartus in Psalm. 70. Iustitiam hominis propriam condemnat, quæ est extra justitiam Dei. Sed quid hæc ad imputationem illam? maxime cùm ibidem dicat Augustinus, ut & Pappus citat; hominem justum esse justitiã data à Deo; non autem dicat, imputatã.



ARTICVLVS V.

DE MINISTERIO DOCENDI EVANGELIJ, & Administrandi Sacramenta.

IN hoc Articulo Conclusio I. quæ ministerium Evangelij docendi, & porrigendi Sacramenta institutum assertit, ut fidem consequamur, admittitur tanquã veritati & Augustino consentanea, si quoad Sacramenta accipiatur de infantibus: & iterum, non de sola fide, sed & cæteris ad salutem necessarijs; nō etiam, si de adultis, vel fide sola, siquidem extra cōtroversiam sit, adultum sacramenta utiliter participare volentem jam credere debere. Si credit; igitur non fidem primùm consequitur, sed habet jam, & in ea confortatur per gratiã, quam Sacramenti participatio idonea confert. Quæ etiam unã cum Fide eidem participanti reliquarum virtutũ dona præstat. Quod D. Aug. in omnibus istis locis affirmat, in quibus Sacramenta visibilia signa esse dicit invisibilis gratiæ. Cujusmodi sunt

*Augustinus. de catechizan. rud. cap. 26. Tom. 4.
col. 923. B.*

De Sacramento sanè quod accepit (loquitur de rudi) cùm ei benè cōmendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse

esse visibilia, dicendum est; sed res ipsas invisibiles in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem benedictione significatam, quemadmodum habetur in usu quolibet.

Idem Lib. 19. contra Faust. c. 16. Tom. 6. col. 349. D.

Quid enim aliud quæq; corporalia Sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, veruntamen mutabilia & temporalia. Et paulò post: Sonant & transeunt; virtus tamen, quæ per ista operatur jugiter manet, & donum spirituale, quod per ista insinuatur, æternum est.

Idem Tracta. 80. In Euang. Ioan. Tom. 9. col. 445. a. b.

Vnde ista tanta virtus aque, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur.

Idem super Levit. quest. 84. Tom. 4. col. 227. D.

Advertendum est, &c.

Neque aliud loca ambo à Pappo allata evincunt. Ostendunt namq; prædicationem ad Fidem acquirendam requiri & necessariam esse. De Sacramentis in iisdem nihil nè verbum quidem, licet eadem ad fidem & alia ad salutem pertinentia consequenda, pro ut modo dixi, in infantibus certissima media esse, nequaquam unquam negaverimus. In adultis fidem præsupponunt, non dant; sed acceptam jam antea adaugent & confirmant, adeò ut si sit qui fide carens ad Sacramenta accedat, quantumvis Sacramentum, nequaquam tamen Rem Sacramenti, & sanctificationis, sive Sancti spiritus gratiam accipiat; sicut neq; is, qui peccatis alijs immeritus est; cuius locupletissima apud D. Augustinum sequentia testimonia exstant.

Augustinus, Lib. 4. contra Donatist. c. 12. Tom. 7. colum. 425. D.

Si ipse, qui accipit perversus est; nec perverso ad salutem prodest quod datur, & sanctum tamen in eo permanet quod accipitur. Nec ei si correctus fuerit iteratur.

Idem Lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 47. Tom. 7.

colum. 320. D.

Memento ergò Sacramētis Dei nihil obesse mores malorum homi-

hominum, quò illa vel omnino nò sint, vel minùs sancta sint; sed
 ipsis malis hominibus, ut hæc habeant ad testimonium damna-
 tionis, non ad adiutorium sanitatis.

Idem Tractat. 26. in Euangel. Iohannis, Tom. 9.

colum. 227. D.

Aliud est Sacramentū, aliud est virtus Sacramēti. Quàm multi
 de altari accipiunt, & moriuntur; & accipiendo moriuntur.

Idem in Psalm. 77. Tom. 8. colum. 851. A.

Cùm essent omnia communia sacramenta (in veteri Testa-
 mento,) non communis erat omnibus gratia, quæ Sacramento-
 rum virtus est, sicut & nūc jam revelata fide, quæ tunc velabatur,
 omnibus in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti baptizatis
 commune est lavacrum regenerationis; sed ipsa gratia, cuius ipsa
 sunt sacramenta, quæ membra corporis Christi, cum suo capite
 regenerata sunt, nò communis est omnibus. Nam & Hæretici ha-
 bent eundem baptismum, & falsi fratres in communione Ca-
 tholici nominis.

Idem eadem de causa multoties affirmat, apud Hæreticos, vel
 Schismaticos sacramenta esse, nò tamen sanctificare; maximè li-
 bro 2. cont. Cresconium. c. 10. Tom. 7. col. 226. a b. Item lib. 4.
 contra Donatist. c. 25. Tom. 7. col. 434. a. Et passim in libris con-
 tra eosdem.

Nihil dico quòd partes ministerij Ecclesiastici nò omnes hinc
 proponantur, de quo suo loco.

Ex quibus jam intelligitur etiam, quantum absit à Sententia
 D. Augustini Conclusio II. Quantum ad hoc, quod Sacramen-
 ta Instrumenta facit, per quæ donetur Spiritus sanctus, qui fidem
 efficiat, ubi & quando visum est Deo, in ijs qui audiūt Euange-
 lium. Siquidem Fides in suscipiente sacramentum utiliter, neces-
 sariò susceptionem præcedat, uti ex modò allatis testimonijs ma-
 nifestum est.

Loca tria ad illius confirmationem producta à Pappo nihil hu-
 jus in se habent; sed tantum declarant, indignitatem Ministri in
 suscipiente Sacramentum, modò idoneus & dispositus ipse sit,
 F. eius

88 PARALLELA CONFESSIO.

cjus effectum non impedire. Sed quis hoc, nisi Donatista neget; quos ipse D. Augustinus fortiter meritò cōpressit, & redarguit.

Conclusio III. Pappi: *Doctrina Euangelij est, quòd DEVS nō propter nostra merita, sed propter Christum iustificet hos, qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi.* Quomodo, & in quo sensu, & cum veritate, & cum D. Augustino consentiat, liquet ex dictis circa articulum præcedentem de Iustificatione.

Conclusio IV. *In quantum damnat sentientes, Spiritum sanctum contingere sine verbo externo, verissima est: uti ex testimonijs à Pappo allatis patet.* In quantum autem rejicit hominum præparationes, & opera ad accipiendum Spiritum sanctum, si quidem loquatur: de operibus factis ab hominibus adultis cum auxilio Dei, excitantis & prævenientis eos, meritò condemnatur & ipsa, ceu & scripturæ, & Augustino contraria. An non enim Apostolis dictum; Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos. Matth. 28. Item Act. 2. Quid faciemus viri fratres? quibus Petrus; Pœnitentiã agite; & baptizetur unusquisque vestrum, &c. Et accipietis donū Spiritūs sancti. Ad Saulum Act. 9. à Christo ipso dicitur: Surge & ingredere civitatē, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Augustini verba de hac eadē re apertissima sunt Epist. 108. ad Seleucianum Tom. 2. colum. 506. c. Agunt enim homines ante baptismum pœnitentiã de suis prioribus peccatis; ita tamen ut etiam baptizentur; sicut scriptum est, in Actibus Apostolorum, &c.

Loca duo adducta hīc nihil contra hæc faciunt: prior enim est contra solos Enthusiastas contemnentes externam prædicationem verbi. De præparationibus nihil prorsus habet. Idem iudicium de secundo: habet enim nihil nisi verbum prædicatum per Prophetas & Apostolos esse lumen; esse

lucernam. Quid igitur probavit Pappus?



ARTICV.



ARTICVLVS VI.

DE FRVCTIBVS FIDEI, SEV BO-
nis Operibus.

Conclusio i. Pappi. *Fides Iustificans debet bonos fructus parere.* Duplicem facit sensum: Prior esse potest, Fidem nisi pariat bonos fructus, sed sterilis sit, nō iustificare. Posterior, Fidem, nisi pariat bonos fructus, nō esse fidem veram. Si priorem sequatur Pappus, sanus est, & Augustinianus. Si posteriorem, falsus, & Augustino expressè contrarius. Is enim, fidem posse esse veram, sine charitate & alijs operibus bonis, licet sit infructuosa, & informis, docet in multis locis; maximè lib. 1. cont. Donatist. cap. 8. Tom. 7. col. 380. c. *Quid prodest homini vel sana fides, vel sanum fortasse solum fidei sacramētum, vbi lethali vulnere Schismatis peremta est sanitas charitatis?*

Idem lib. 1. contra Crescon. cap. 29. Tom. 7. col. 217. C.

Vnus enim Deus, una fides, unum baptisma, una incorrupta Catholica Ecclesia, non in qua sola unus DEVS colitur, sed in qua sola unus Deus piè colitur, nec in qua sola una fides retinetur, sed in qua sola una fides cum charitate retinetur.

Idem lib. 2. cap. 77. contra lit. Petiliani Tom. 7. colum. 132. D.

His nos Apostolicis verbis (Charitatem autem nō habeam, nihil sum) commendantibus eminētiam charitatis vobis solemus ostendere, quomodo nō profit hominibus, quamuis in eis sint sacramenta, vel fides, ubi charitas nō est, ut cū ad Catholicam veritatem venitis, intelligatis, quid vobis conferatur, & quātum sit, quod minus habebatis.

Loca omnia allata pro hac Conclusionē aliud non obtinent, quā opera sine fide & gratia facta, nō esse bona; intellige, perfectè & meritoriè; aliās autem eadem etiam sine istis posse esse bona bonitate quadam morali, quæ tamen nil ad vitam æternam

conducat, disertè Augustinus affirmat, præsertim Epist. 5. ad Marcellinum. Tom. 2. col. 25. d. Rempub. primi Romani constituerunt, auxeruntq; virtutibus, etsi nõ habentes veram pietatem erga DEVM verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri Religione perducere, custodientes tamen quandam sui generis probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ, augendæ conservandæq; sufficere: DEVS enim sic ostendit in opulentissimo & præclaro Imperio Romanorum, quantum valerēt civiles etiam sine vera Religione virtutes; ut intelligeretur, hæc addita, fieri homines cives alterius civitatis, cuius Rex Veritas, cuius Lex Caritas, cuius Modus æternitas.

Idem Lib. 4. de Baptis. contra Donatist. cap. 21. Tom. 7. colum. 431. D.

Non debemus improbare justitiam hominis, quæ prius esse cœpit, quàm conjungeretur Ecclesiæ, sicut esse cœperat justitia Cornelij, priusquam ipse esset in plebe Christiana; quæ neq; si improbaretur, dixisset ei Angelus, Acceptæ sunt elemosynæ tuæ, & exauditæ sunt orationes tuæ; neque si sufficeret ad capeffendum regnum cœlorum, ut ad Petrum mitteret, moneretur.

Idem de Spirit. & Lit. cap. 27. Tom. 3. col. 828. D.

Quædam facta (loquitur de operibus impiorum) vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam nõ solum vituperare non possumus, verumetiam meritò rectèque laudamus.

Idem Epist. 130. Ad Circenses. Tom. 2. col. 645. B.

Polemo ergò si ex luxurioso continens factus ita sciret, cuius esset hoc donum, ut cum abjectis superstitionibus Gentium pie coleret, nõ solum continēs, sed etiam veraciter sapiēs, & salubriter religiosus existeret, quod ei non tantum ad præsentis vitæ honestatem; verum & ad futuram immortalitatem valeret.

Idem de Patientia cap. 26. & 27. Tom. 4. fusè, & c.

Quòd si hæc eadem opera quandoq; peccata dicit, quomodo intelli-

intelligi debeat, seipsum explicat, nimirum si ex infidelitatis, prava quadam contagione, nō in DEI, sed in laudem propriam dirigantur. Sic enim loquitur lib. 4. contra Iulianum Pelagianum. cap. 3. Tom. 7. col. 1036. c. d. Si gentilis nudum operuerit, nunquid quia non est ex fide, peccatum est? Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est: non quia per seipsum factum, quod est nudum operire peccatum est: sed, tali opere nō in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.

Neque est praterendum hīc Pappi acumen, qui cū rex locis pro cōclusionē hac adductis probandum suscepisset, Fidem debere bonos fructus parere, aliud nō concludit, quā bona opera sine fide & gratia esse nō posse. Quod de operibus perfectē bonis & meritoriis nemo unquam, ut dixi, negavit.

Conclusio II. in qua est; *Opera bona mandata à DEO oportere facere;* & Catholicorum, & Augustini veritas est certissima; idēq; ex S. Augustino rectē probatur.

Conclusio III. pariter admittitur; quoad hoc, quod habet; *Oportere bona opera facere, propter voluntatem DEI.* Rejicitur tanquam falsā & alienissima à doctrina Augustini; quoad hoc, quod ponit: per ea justificationem coram DEO nos nō mereri: si sit sermo, de Iustificatione secunda, & operibus, quæ sequuntur Iustificationem: nō etiā de ijs quæ præcedunt. De operibus enim justificantium, sive quæ sequuntur justificationem, quid senserit vir sanctus ex sequentibus constat locis.

*August. Lib. 50. homiliarum, homilia 14. Tom. 10.
colum. 444. a.*

Audiamus Paulum Apostolum dicentem, cū passioni suæ appropinquaret, de corona sibi parata præsumptem. Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. de cætero superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex; nō solum autē mihi, sed & omnibus, qui diligunt manifestationem ejus. Reddet, inquit, mihi Dominus coronam justus iudex. debet ergo quid reddet. Reddet ergo justus iudex. Non enim opere inspecto potest negare mercedem, qui opus inspicit. Bonum certamen certavi, Opus est: cursum consum-

consummavi; Opus est: fidem servavi Opus est. Superest mihi corona justitiæ; merces est. Sed in mercede tu nihil agis. Corona tibi est ab ipso: opus autem abs te, sed non, nisi ipso adjuvante.

Idem his similia, eaq̄. pulcherrima quàm plurima habet, & affert, occasione ejusdem loci Paulini, in Psal. 83. Tom. 8. colum. 925. A. Audi illum jam exigentem, &c.

Item in Psalm. 100. colum. 1121. D.

Idem de octo Dulcitiy questionib. quest. 4. Tom. 4. colum. 668. B.

Quid autem fratres potentius, quàm ut regnum cælorum nõ solum Zachæus emat dimidio rerum suarum, sed & vidua duobus minutis, & tantundem ibi uterq; possideat? Quid potentius, quàm ut idem regnum, & thesauris divitis, & calice aquæ frigidæ valeat?

Idem in Psal. 120. Tom. 8. col. 1427. C.

Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac. Nam si opus bonum in terra propterea feceris, ut terrena tibi abundant, scit sinistra tua, quid faciat dextera tua, miscuisti dexteram sinistrae. Noli facere, nisi propter vitam æternam: si ideo facis, securus facies: hoc enim mandavit DEVS.

Idem Epist. 105. Tom. 2. col. 462. B.

Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt planè, quia justifuerunt: sed ut justifuerent, merita non fuerunt.

Idem, nè quis putaret, propterea opera bona hominis justificati non esse vitæ æternæ meritoria, quòd illa communiter in sacris dicatur gratia; quomodo hæc inter se non pugnent, multis in locis ostendit & explicat uberrimè: maximè verò de gratia & lib. arbit. cap. 8. 9. 15. 16. 20. & 21. ubi cap. 8. hæc verba inter cetera leguntur; col. 1307. D.

Et nascitur indè nõ parva quæstio quæ Domino donante solvenda est. Si enim vita æterna bonis operib. redditur, sicut aper-

tissimè

tiſſimè dicit ſcriptura; quoniam DEVS reddet unicuiq; ſecundùm opera ejus; quomodo gratia eſt vita æterna, cùm gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ipſo Apoſtolo dicente. Et paulò poſt hanc quæſtionem diſſolvens, ſubjungit; Iſta ergo quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſſolvi, niſi intelligamus & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere. & quæ ſequuntur ibidem.

Idem Epift. 105. Tom. 2. col. 466. B.

Et ideò meritis præcedentibus redditur, ſcilicet vita æterna; tamen quia eadem merita quibus redditur, nō à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud, niſi quia gratis datur: nec ideò quia meritis nō datur; ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur, &c.

Eſtq; revera ſancti viri ſententia in tota hac materia tam perſpicua, ut mirum ſit, quemquam de ea unquam dubitare auſum fuiſſe, & adhuc audere.

Ineptus eſt, & parum collectus Pappus in citandis locis duobus pro hac Concluſione; prior enim nō prohibet ſpem præmij, ſed glorificationem noſtram ex operibus noſtris, id eſt, vanam laudem & gloriã, quam ut probent Catholici, tãtùm abeſt, ut illã ceu Chriſti ore damnatã dãnent pariter, ſicut & de factis operibus bonis præſumptionẽ. Vide Conciliũ Tridentinũ Sefs. 6. cap. 16.

Posterior eſt de operibus præcedentibus Juſtificationem, quæ nullius ſunt apud DEVM meriti, prout sæpè jam dictum eſt. Eſſe autem de iſtis operibus, liquet ex hoc, quod loquitur de carentibus adhuc fide & malis, non fidelibus & bonis.

De Concluſione IV. toties repetita jam antea in Articulo de juſtificatione, & D. Auguſtini & noſtram ſententiam & diximus, & probavimus. Locus hic pro eãdem citatus ad juſtificationem, & remiſſionem peccatorum requiri docet fidem; ſed neque ſolam, neq; illam, quam Confefſio ſtatuit; neq; apprehenſionis vllam facit mentionem.


In Quinta, in qua, *Idem veteres Scriptores Eccleſiaſticos docere ſcribit, & Ambroſium ſolum nominat; nō attendit, Ambroſium loqui*

loqui de operibus præcedentibus justificationem, quæ gratiam nullam promereri vel potuerit unquam, vel possunt, confessione omnium Catholicorum. Et quidem quomodo hanc fidem solam D. Augustinus passim in libris suis explodat, ex dictis circa Articulum de Iustificatione manifestissimum est.

Vnde loca quatuor, pro statuenda sua fide sola, etiam hic ineptè admodum ex viro Sancto produxit Pappus. Solum enim istud distinguit iustitiam Christi contra quamcunq; aliam; fidem item Christi sive in Christum, contra fidem quamcunq; aliam; sensusq; nõ est, hominẽ justificari sola fide, ita ut re nulla, quàm fide indigeat, sed Iustitiam nostram esse non aliam, sive alterius, quàm Christi, nõ imputatam, ut antea dictum est; sed datam & communicatam nobis verè, ex ejus meritis. Item, quicquid ex parte nostri accedit, sive fides istud, sive aliud quid sit, nemini nisi Christo auctori, & causæ meritoria ejus, acceptum referri debere; hinc enim est, quod dicit Augustinus, prout in secundo testimonio Pappus refert; Quid enim habes, quod nõ accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Præsertim verò hic ad omnia loca, quæ ex Augustino objici possunt, notandum est, quod quoties in ipso ponitur vox, Sola, ad fidem, in omnibus istis locis nõ intelligi fidem, prout est virtus in sua forma consistens, sed pro ut est sola, id est, formata sola, conjuncta cum spe & charitate. Hocque verum esse, probatur clarissimè: quod enim in tertio testimonio Pappi, dicit solã Christi fidem mundare corda, id ipse elegantissimè explicat, nõ de solitaria fide, sed de formata se loqui, Serm. 14. de Sanctis in Festo omnium Sanct. Tom. 10. col. 1478. B. C. Tu credis quoniam unus est DEVS, plaudis tibi de fide, attendis enim multos impios aestimare multos esse Deos, & tu tibi gaudes credendo quod unus est Deus; benè facis. Et Dæmones credunt, & cõtremiscunt; nunquid & ij Deum videbunt? Videbunt qui mudo sunt corde. Quis autem mundicordes dicat spiritus immundos? & tamẽ credunt & contremiscunt. Discernenda est fides nostra à fide Dæmonum; fides enim nostra mundat cor; fides autem illorũ reos facit. Malè quippè operantur; & ideò Domino dicunt; Quid nobis & tibi est? Quum audis hoc Dæmones dicere, putas eos nõ agnoscere? Scimus,

mus, inquit, qui sis; Tu es Filius DEI; dicit hoc Petrus, & laudatur; dicit hoc Dæmon & damnatur. Vnde hoc, nisi quia vox par, & cor impar? Discernamus ergo fidem nostram, nec credere sufficiat: nō est talis fides, quæ mundat cor, Fide, inquit, mundas corda eorum; sed qua fide? quali fide, nisi quam definit Apostolus Paulus, ubi ait: Fides quæ per dilectionem operatur; ista fides discernit à fide Dæmonum; discernit ab hominum flagitiosis ac perditis moribus. Fides, inquit; quæ fides? quæ per dilectionem operatur, sperat quod DEVS pollicetur; nihil ista definitione perpenius; nihil perfectius: ergo tria sunt illa, &c. & quæ sequuntur ibidem.



ARTICVLVS VII.

DE ECCLESIA.

Conclusio prima, affirmās; *unam Sanctam Ecclesiam perpetuò permanfuram esse*; ceu vera & Augustiniana admittitur.

Secunda, in hoc sensu; *quòd ad Ecclesiam ij tantum pertineant, qui Sancti sunt*; ab Augustino in libris contra Donatistas & Pelagianos, quorum hæc eadem mens & sentētia fuit, expressè rejicitur & damnatur.

Augustinus de heresibus Ad Quod vult Deus. heresi.
88. Tom. 6. col. 32. D.

In id etiam progrediuntur (Pelagiani) ut dicant, vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi hac mortalitate perfici, ut sit omninò sine macula & ruga, quasi nō sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum orbe clamet ad Deum: Dimitte nobis debita nostra.

Idem heresi 68. colum. 27. d.

Sed post causam cum eo (Cæciliano) dictam atq; finitam, falsitatis rei deprehēsi, pertinaci dissensione firmata, in hæresin Schisma verterunt: tanquam Ecclesia Christi propter crimina

G Cæci-

Cæciliani seu vera, seu, quod magis apparuit iudicibus, falsa, de toto terrarum orbe perierit, ubi futura promissa est, atq; in Africa Donati parte remanserit, in alijs terrarum partibus quasi contagione communionis extincta.

Idem Lib. 1. contra duas Epistol. Pelagianorum cap. 14.

Tom. 7. col. 873. B.

Neque enim quisquam sic desipit, ut dicat, ad baptizatos Dominicum illud non pertinere præceptum; Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis. Nullus autem in Ecclesia posset ordinari minister, si dixisset Apostolus: Si quis sine peccato, ubi ait: Si quis sine crimine est. aut si dixisset, Nullum peccatum habentes, ubi ait; nullum crimen habentes: multi quippè baptizati fideles sunt sine crimine; sine peccato autem in hac vita neminem dixerim.

Idem Lib. 2. Retractat. cap. 18. Tom. 1. col. 46. d.

Vbicunq; in his libris (nempè de Baptismo cōtra Donatistas) commemoravi, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit; sed quæ præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa: nunc enim propter quasdam ignorantias & infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita nostra.

Idem in Euang. Ioan. Tract. 6. Tom. 9. col. 54. d.

Nos fatemur in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas. Aliquando qui baptizatur à grano, palea est: & qui baptizatur à palea, granum est, &c. Et in eandem sententiam ibidem quàm plurima.

Idem de fide ad Petrum cap. 43. Tom. 3. col. 235. B.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam usq; in finem sæculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est, bonis malos Sacramentorum communionem misceri, & in omni professione sive Clericorum, sive Monachorum, sive Laicorum, bonos esse simul, & malos.

Non obstat loca tria pro eadem allata. Primus enim aliud non habet,

habet, quàm Domum DEI ædificari prædicatione Euangelij. Secundus verò rursus nil aliud tradit, nisi unam esse societatem omnium fidelium ab initio mundi, qui quidem partim boni, partim mali sint. Tertius miror quo pudore, & ausu à Pappo adductus sit, cum prima pars tantùm habeat, saluum esse nõ posse, nisi qui sit in membris Christi, & in Ecclesia Catholica. Altera verò pars, Illam esse veram Ecclesiam, in quam attributa, quæ in scriptura sunt de Ecclesia Christi conveniunt; qui unus locus totam Lutheri, & omnium asseclarum ejus sectam funditùs evertit; non solùm quòd Ecclesia illorum per totum orbem nõ est diffusa; sed etiam quòd vaticinia Scripturæ in eam nullo modo conveniãt. Quo fit, ut Pappus iterum prorsus nihil probaverit.

Tertia & Quarta Conclusiones, quæ ad veram unitatem Ecclesiæ sãt esse volunt, consentire de doctrina Euangelij, & administratione sacramentorum; nec necesse esse, ut similes ubiq; Traditiones humane sint & ritus: si absit Schisma, admittuntur. Si accipiãtur, prior quidem de doctrina Euãgelij tam traditi, quàm scripti; posterior verò, de traditionibus particularibus, non etiam universalibus. Sin minus, utraq; tanquam Augustino cõtraria, rejicitur. Is enim traditiones Apostolorum & Ecclesiæ ad nos usq; continua successione derivatas, diligenter cognoscendas, & retinendas esse, docet apertissimè.

*Augustinus Lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap.
26. Tom. 7. col. 451. C.*

Quod autem nos admonet (Cyprianus) ut ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam Traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.

Idem Serm. de tempore. 191. Tom. 10. col. 1018. B.

Ecclesiæ regula sanctaq; Patrum traditio atq; judicia in perpetuum firma solidaq; permaneant.

*Idem Lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 1. Tom. 4.
colum. 371. C.*

Apostoli non solùm ea, quæ ex ore Christi audita, meminerãt,

verumetiam quæ priusquam illi per discipulatum adhaerant in
ejus nativitate, vel infantia, vel pueritia divinitus gesta & digna
memoria siue ab ipso, siue à parentibus ejus, siue à quibuslibet a-
lijs certissimis indicijs, & fidelissimis testimonijs requirere & cog-
noscere potuerunt, imposito sibi Euangelizandi munere, gene-
ri humano annunciare curarunt.

*Idem Lib. 4. de Baptif. contra Donatist. cap. 24. Tom. 7.
colum. 433. A.*

Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilij institutum, sed
semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum
rectissimè creditur.

*Idem Lib. 5. cap. 23. contr. Donatist. de Baptif.
col. 449. C. D.*

Apostoli nihil quidem exindè præceperunt, sed consuetudo
illa, quæ apponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium
sumsisse credenda est, sicut sunt multa, quæ uniuersa tenet Eccle-
sia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam
scripta non reperiantur.

*Idem Lib. de unitate Ecclesie cap. 19. Tom. 7.
colum. 553. B.*

Hic fortè dicis, lege mihi, quemadmodum Christus suscipi
iusserit eos, qui ab hæreticis transire ad Ecclesiam volunt, hoc a-
pertè atq; evidenter neq; ego lego, neq; tu, &c. Et postea; Cum
hoc nusquã legatur, credendum esse testimonio Ecclesie, quam
veracem esse Christus testatus est. His similia legere est lib. I. con-
tra Cresconium cap. 31. 32. & 33. Tom. 7.

Quæ omnia apud virum sanctū. tam certa & indubitata sunt,
ut scripturam Canonicam à nō Canonica nō nisi per Traditio-
nem discerni posse expressè tradat, lib. II. contrā Faustum. cap. 2.
Tom. 6. col. 247. B. Usque adeo, &c. Item lib. 15. de Ciuitate DEI
cap. 23. Tom. 5. col. 852. B. Omittamus, &c. Item lib. 2. de doctri-
na Christiana cap. 8. Tom. 3. colum. 24. D. In Canonicis autem
Scripturis,

Idem

Idem eadem de causa multarum sacrarum non expressè scripta; ab Apostolis tamè tradita; credenda indubitato affirmat. Talia sunt, I. Homousion, Epistola 174. Tom. 2. colum. 779. a. II, Spiritum sanctum adorari, & Patrem ingenitum dici, libro 3. contra Maximum Arianum, cap. 3. Tom. 6. col. 722. D. III, Beatam Mariam perpetuò virginè esse; lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 69. Tom. 3. col. 206. D. IV. Hæreticos nō rebaptizādos, lib. 2. contra Donatist. cap. 7. Tom. 7. col. 396. D. V. Parvulos baptizandos; lib. 10. de Genesi ad literam cap. 23. Tom. 3. col. 654. B. Item lib. 4. de Baptis. contra Donatist. cap. 23. Tom. 7. colum. 432. D. VI. Symbolum Apostolorū, lib. de fide & symbolo, cap. 1. Tom. 3. col. 139. B. Item Serm. 115. de Tēpore, Tom. 10. col. 849. A. Item lib. 3. cap. 1. de Symbolo, Tom. 9. col. 120. B.

Neq; obiter & perfunctoriè hæc omnia vir sanctus tradit, sed seriò magna cum diligentia & studio, adeò ut istis se opponentes inter Hæreticos referat; ut patet de Helvidio negante perpetuam Beatæ Mariæ virginitatē; de hæresibus Ad Quod vult Deū, hæres. 84. Tom. 6. col. 31. A.

Loca pro utraq; conclusione à Pappo adducta, aliud non docent; quàm vel varietatem, sive diversitatem rituum particularium; nō tollere fidei & Ecclesiæ unitatem; sat esse in substantialibus convenire; vel secundo, ex libris Canonice Ecclesiæ cognoscendas esse proprietates, & inquam eæ convenerint, illam pro vera habendam fore: vel tertio, in Ecclesia malos inveniri & rebelles; quorum nullum infitiatum unquam sumus, & ad conclusiones præsentis prorsus non pertinent.

Quod si verò Adversarij ista duo, id est, consensum de doctrina Evangelij, & administratione Sacramentorum Ecclesiæ veræ: notas facere velint; Augustino apertissimè cōtradiciunt; utpotè qui observationem præceptorum, Scripturas, fidem, aut sacramenta, nō esse sufficientia signa ad dignoscendam Ecclesiam; disertè tradit; lib. 1. cōtra Cresconium Grammaticum lib. 1. cap. 28. & 29. Tom. 7. col. 216. 217. D. A.

Invenimus eundem Deum (quem & Christiani Catholici colunt) extra Ecclesiam ab ignorātibus coli, & nec ideò fieri ut nō ipse sit Deus. Invenimus etiam eos qui nō pertinent ad Ecclesiæ

membra eandem fidem cōfiteri, nec ideo fieri ut nō sit una fides. Sic etiam cum invenimūs eundem Baptismum ab eis, qui sunt contra Ecclesiam, in baptizandis hominibus observari, nō ideo nō esse ipsum baptismum existimare debemus. Fortasē ad hoc dicas, fieri nō posse, ut extra Ecclesiam idem ipse unus Deus colatur, aut eadem fides, qua cōfitemur Christum Filium DEI: unde Petrus beatus est appellatus, etiam in eis qui nō sunt in Ecclesia reperiatur; & quæ sequuntur.

*Idem Epistol. 48. ad Vincentium Rogatianum Tom. 2.
colum. 177. D.*

Acutum aliquid vidēris dicere, cūm Catholicæ nomē non ex totius orbis communionē interpretaris, sed ex observatione omnium præceptorum Divinorum, atq; omnium sacramentorum; quasi nos etiā (si fortē hinc sit appellata Catholica, quod totum veraciter teneat, cujus veritatis nonnullæ Particulæ etiam in diversis inveniuntur hæresibus) hujus nominis testimonio nitamur, ad demonstrandum Ecclesiam in omnibus gentibus, & non promissis DEI, & tam multis, tamque manifestis oraculis ipsius veritatis.

Ipse verò vir sanctus Augustinus Ecclesię notas facit, Quòd sit una, Sancta & Catholica.

August. Lib. de unitate Ecclesiæ cont. Petiliani Donatistæ Epistolam cap. 2. Tom. 7. col. 510. D.

Quæstio certē inter nos versatur, ubi sit Ecclesia: utrum apud nos; an apud illos? quæ utique una est, quam majores nostri Catholicam nominarunt; ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est.

*Idem Lib. 2. cont. literas Petiliani; cap. 38. Tom. 7.
colum. 115. A.*

Si vos tenere Catholicam dicitis, Catholicos illud est, quod Græcè dicitur unicum sive totum. Ecce in toto non estis; quia in partem cessisti, &c. & quæ sequuntur ibidem ad longum.

Idem cont.

*Idem contr. Fulgentium Donatist. cap. 18. Tom. 7.
column. 650. c.*

Hic est locus electus, hic mons sanctificatus, hæc civitas super montem posita, ita ut abscondi nō possit; hæc radix Catholica, hæc vitis fructifera lōgè lateq; diffusa, quæ in Ecclesiastico clamat & dicit: In Sion fundata sum, & in Ierusalem potestas mea.

Idem de vera Religione cap. 7. Tom. 1. col 706. A.

Tenenda est nobis Christiana religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, verumetiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintque ipsi quoq; Hæretici, & Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant.

Quid multa? nè in re apud sanctissimum virum inprimis certissima, multitudine testimoniorum lectorem oneremus, monemus, ut vel unicum de unitate Ecclesiæ Librum diligenter evolvat: sicq; futurum nihil dubitamus, quin intellecturus mox fit, quàm temerè impudenterque moderni Sectarij omnes contra celeberrimi Doctoris mentem suis turmis & turbis augustissimum Ecclesiæ nomen adscribant & vendicent. Quo fit, ut mirari sat non possim, quomodo istam frontem habere possit Pappus, ut cum hîc, tum alibi ex hoc eodem libro nonnulla apponat testimonia; cum totus liber Ecclesiam non eò ex Scriptura probet, quòd omnia Ecclesiæ sint in Scriptura tradita; sed tantum & unicè, quòd Scriptura vaticinia & attributa habeat, de Ecclesiæ splendore, firmitate, diffusionem, &c. Quæ omnia tantum Augustinus spectat, & ex his Ecclesiam veram à falsa discernit.

Quod semel monere, & Pappum rogare, nè injuriam manifestam sancto viro porro facit, visum est.





ARTICVLVS IIIX.

DE HYPOCRITIS ET MALIS.

admixtis Ecclesie.

OMnes Articuli hujus Conclusiones, nihil incommodi prorsus habent, excepta Prima; quæ ipsa etiam, si per Hypocritas & Malos intelligantur hypocritæ & mali in vita, admittitur: Sin de malis in fide, ita ut hæresin prodant exterius profiteaturq; , rejicitur tanquam Augustini doctrinæ repugnans. Is enim lib. de unitate Ecclesiæ cap. 4. Tom. 7. column. 514 A. sic scribit: Quicumque de ipso capite (Christo) ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inveniuntur, in quibus Ecclesia designata est, nō sunt in Ecclesia. Et rursus; Quicumq; de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & unitate Ecclesiæ nō communicāt, nō sunt in Ecclesia, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiūt.

Idem cont. literas Petihani cap. 168. Tom. 7. col. 162. C.

Nec ideò putandi sunt (hæretici) esse in Christi corpore quod est Ecclesia; quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt, &c.

Loca adducta à Pappo ostendūt; Malos nō esse ita de corpore Christi, quod est Ecclesia, ut cum ipso sint semper, & perpetuò permanfuri; nō autem quòd nō sint; quod etiam nos volumus.



ARTICVLVS IX.

DE BAPTISMO.

Conclusiones hujus Articuli per omnia sanæ sunt, Catholica & Augustiniana. Alia tamen, quæ de Baptismo, & ejus efficacia, extra illa, de quibus est Articulus, Lutherani hodie tenēt, tam dissimilia doctrinæ Augustini sunt, ut nè in specie quidem ex illo palliari ullo modo, & ratione possint.

possint. Docent enim Confessionistæ, 1. *Baptismum radere peccatum, non tollere.* 2. *Efficere non ut non sit, sed ut non imputetur.* 3. *Parvulos, quando baptizantur, actu credere.* 4. *Eum qui baptizatur, ab omni observanda Legis debito & obligatione absolui, & liberari.* 5. *Benedictionem sive consecrationem aque baptismalis. Exorcismum, exsufflationem, Chrisma, & alias baptismi ceremonias impias esse, neq; adhibendas in usum.* Quæ omnia expressissimè negat D. Augustinus.

PRIMUM & SECUNDUM quidem, lib. 3. contra duas Epistol. Pelagianorum cap. 3. Tom. 7. col. 894. D.

Baptisma quoq; inquit (Pelagiani) non verè novos homines facere afferunt, id est, nō plenam dare remissionem peccatorum; sed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios seculi, id est, Diaboli remanere. Mentiuntur, insidiantur, tergiversantur. Et pōst, col. 895. D. Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ sciēter admitta sunt, sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit.

Idem Lib. 1. de nupt. & concupisc. Tom 7. col. 829. c.

Ac per hoc non solū omnia peccata, sed omnia prorsus hominum mala Christiani lavacri sanctitate tolluntur. Hujus generis multa passim in libris contra Pelagianos legere est.

TERTIUM Lib. 3. de Lib. arbit. cap. 23. Tom 1. colum. 695. c. Qua in re satis piè rectèque creditur, prodesse parvulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur; & hoc Ecclesiæ commendat saluberrima authoritas, ut ex eo quisq; sentiat, quid sibi proficit fides sua; quando in aliorum quoq; beneficium, qui proprium nondum habent, potest aliena commodari.

Idem Epist. 23. ad Bonifacium, Tom. 2. col. 91. c.

Offeruntur quippè parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamvis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quàm ab universa societate Sanctorum atq; fidelium.

H

Idem

*Idem Lib. 4. de Bapt. cont. Donatist. cap. 24. Tom. 7.
column. 433. C.*

Sicut in illo latrone, quod ex Baptismi sacramento defuerat, complevit Omnipotentis benignitas, quia nō superbia, vel contemptu, sed necessitate defuerat; sic in Infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotētis implere credendum est, quod nō ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem.

QVARTVM, Lib. 19. cont. Faustum Manich. cap. 12. Tom. 6. col. 348. B. Et nē sibi sufficere putarent (baptizati) visibile sacramētum, per quod habebāt formam pietatis, & per malos mores perditē vivendō, virtutem ejus abnegarent; continuo subiecit (Petrus Apostol.); Non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio.

Idem de fide & Operibus cap. 15. Tom. 4. col. 70. C.

Inaniter etiam illud à Petro dictum videbitur, (si baptizari & credere ad salutem fatis est): sic & vos simili forma baptisma salvos facit, nō carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio. Et paulò post: Illud quoq; nō video, cur Dominus dixerit; Si vis venire ad vitam, serva mandata, & commemoravit ea, quæ ad bonos mores pertinent, si etiam his nō servatis ad vitam venire potest, per solam fidem, quæ sine operibus mortua est. Illud deindē quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistra positurus est, dicet: Ite in ignem æternum: nec increpat, quia in eum non crediderunt; sed quia bona opera non fecerunt.

Idem eodem Lib. cap. 26. col. 82. a.

Caveamus ergō diligenter in adjutorio Domini Dei nostri, nō facere homines malè securos, dicentes eis, quod si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint, eos ad salutem æternam esse vêturos, &c. sed potius sanam doctrinam Dei magistri in utroq; teneamus, & sancto baptismo consona sit vita Christiana.

QVINTVM; Lib. 50. homiliarum, homilia 27. Tomo 10. col.

col.478.B. Per mare transitus est baptismus, sed quia baptismus, id est, salutis aqua nō est salutis, nisi in Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinē suū fudit, cruce ipsius aqua signetur.

Idem de Sanctis ser. 19. Tom. 10. colum. 1208. A.

Hujus crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, ejusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum ejusdem crucis caractere basilicæ dedicantur; altaria consecrantur; altaris sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum conficiuntur; Sacerdotes & Levitæ per hoc idem ad sacros ordines promoventur; & universaliter omnia Ecclesiastica sacramenta in hujus virtute perficiuntur.

Idem Lib. 6. cont. Julian. Pelagian. cap. 8. Tom. 7.

colum. 1131. C.

Signo Crucis cōsecratur unda baptismatis, ut ea diluatur reatus, tanquam in chirographo scripturis, &c.

Idem de Ecclesiasticis dogmatib. cap. 31. Tom. 3.

colum. 200. C.

Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso cōtemplamur intuitu. Cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramenta, non prius fontem vitæ adeant, quàm exorcismis, & exsufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur. Eadem penè leguntur lib. 5. hypognoticōn col. 1408. C. Propterea catechizantur & exsufflantur ac baptizantur (parvuli.) Nè autem Pappus hæc testimonia exhibilet, propterea quod ipsius judicio libri hi non sint Augustini; addimus alia ex libris Augustini indubitatis.

August. De Nuptijs & concupiscentia, Lib. 2. cap. 18.

Tom. 7. col. 846. C.

Ac sic accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli nō ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis

princeps mundi mittatur foras. Et paulò pòst; Contra istam fundatissimam veniēs veritatem, ne universam Christi Ecclesiam oppugnare videatur, quasi me unum alloquitur.

Idem eod. lib. cap. 29. colum. 856. c.

Hos iste (Patres quos August. pro testimonio citarat) audeat (Iulianus) dicere Manichæos, & antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nefario crimine aspergat, qua exorcizantur, & ut dixi, exsufflantur parvuli, ut in regnum Christi à potestate tenebrarum, hoc est, Diaboli & angelorum ejus eruti transferantur. Nos autem paratiores sumus cum istis viris & cum Ecclesia Christi in hujus fidei antiquitate firmata, quælibet maledicta & cõtumelias perpeti, quàm Pelagiani cujuslibet eloquij prædicatione laudari.

Iterum in eodem lib. & cap. col. 855. c.

Neq; n. ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctrina, ex illo cœperunt in Ecclesia DEI parvuli baptizandi exorcizari & exsufflari, ut ipsis mysterijs ostenderetur, nō eos in regnum Christi, nisi erutos à tenebrarum potestate transferri.

Idem lib. 1. cont. Iulian. Pelag. cap. 2. col. 43. C.

Tamen quia ex Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate traxisti, & in iniquitate conceptus es, profectò exorcizatus & exsufflatus es, ut à potestate erutus tenebrarum transferreris in regnum Christi.

Idem Lib. de Vita Christiana cap. 1. Tom. 9. col. 889. A.

Ex quo tempore credentes illi, & baptismatis illius sanctificatione purgati, non aliquanti, sicut sub lege prius fuerant, sed omnes in Prophetis & Sacerdotibus ununtur & Regibus, &c. Et mox; Ex Sacramēto enim unctiois hujus, & Christi, & Christianorum omnium, id est, in Christo credentium, vocabulum descendit & nomē. Nè verò Pappus contra hujus libri auctoritatem excipiendo evasisse se hïc putet; en aliud, quod apud eūdem virum sanctū exstat, Tract. 44. in Euāg. Ioan. Tom. 9. col. 34. D. Interroga hominem, Christianus es? Respōdet tibi, nō sum. Si Paga-

Paganus es, aut Iudæus? si autem dixerit, nō sum: adhuc quæris ab eo: Catechumenus, an fidelis? si responderit tibi, Catechumenus, inunctus est, nondum lotus; sed undè inunctus? quære, & respōdet: quære ab eo, in quem credat: eo ipso quo Catechumenus est dicit in Christum: Ecce modo loquor & Fidelibus & Catechumenis. Quod dixi de sputo, & luto; quia Verbū caro factum est, & hoc Catechumeni audiūt; sed nō eis sufficit ad quod inuncti sunt; festinent ad lavacrum, si lumen inquirunt.

Videant ergō Lutherani, quā bellè etiam in his cum D. Augustino consentiant.



ARTICVLVS X.

DE COENA DOMINI.

QMnes hujus Articuli Conclusiones, prout hīc quidem adscriptæ sunt, & Catholicæ, & Augustinianæ sunt. At & hīc Pappo si persuasum nobis vellet, Augustinum Lutheranum fuisse; ostendendum fuerat, illum in ceteris etiam, de Eucharistia idem, quod Lutherani hodie sentiūt, & Apologia Confessionis apertè cōtinet, sensisse. Quod nūquam efficere poterit; etiamsi omnes vitæ suæ dies ejus lectioni impenderit. Negant enim Lutherani moderni omnes; Primò, *Transsubstantiationem*; Secundò, *Christi extra usum sacramenti presentiam, & permanentiam*: Tertio, *Adorationem*: Quarto, *Eucharistiam cum hoc, quod sacramentum est, etiam verè, & propriè sacrificium esse*. Quæ omnia credidit & docuit Augustinus tam disertè & expressè, ut quæ de istis apud ipsum extāt testimonia, nulla tergiversatione obscurari & obtenebrari à quoquam unquam possint. Quod ex sequentibus manifestum est.

I. TRANSSVBSTANTIATIO.

August. Serm. 28. de verbis Domini, Tom. 10. col. 113. A.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Memini sermonis mei, cum de Sacramentis tractarem, dixi vobis, quod ante

H 3 ante

ante verba Christi, quod offertur, Panis dicatur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non Panis dicitur, sed Corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ postea sequitur, ait, Panem nostrum? Panem quidem dixit, sed *in nobis* dixit, hoc est, super substantialem. Non ilte panis, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.

Idem Lib. 3. de Trinitat. cap. 5. & 6. Tom. 3. column. 284. c. d. & c.

Multorum conversionum allatis exemplis ex sacris, & aliunde ostendere nititur, conversionem panis in corpus Christi non esse impossibilem.

II. PRÆSENTIA, ET PERMANENTIA Christi in Eucharistia, extra usum.

Augustinus Lib. 3. de Trinitate, cap. 4. Tom. 3. column. 284. B.

Nec linguam quippe ejus, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis corpus Christi & sanguinem dicimus; sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & Prece *Mystica consecratum*, ritè sumimus ad salutem spiritalem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis.

Idem in Psal. 33. Concione. 1. Tom. 8. column. 232. C.

Et ferebatur in manibus suis, &c. Quomodo intelligatur, in ipso David secundum literam, non invenimus; in Christo autem invenimus. ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est Corpus meum. Ferebat enim illud Corpus in manibus suis.

Idem Lib. 20. contra Faust. cap. 13. Tom. 8. col. 369. A.

Noster autem Panis & Calix non quilibet quasi propter Christum inspiciis, & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt: sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur.

III. ADO.

III. ADORATIO.

Augustinus in Psal. 98. Tom. 8. colum. 1104. C. explicans illa verba Psalmi: Et adorare scabellum pedum eius, &c.

Quæro, quid sit scabellum pedum eius? & dicit mihi Scriptura: Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hinc, & invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius? Suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hinc ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Idem Epist. 120. cap. 27, Tom. 2. col. 606. C.

Neque enim frustra ita distincti sunt, ut de pauperibus supra diceretur. Edent pauperes, & saturabuntur. Hinc verò: Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ. Et ipsi qui adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius; sed adorant tantum, non etiam saturantur, quoniam non invitantur.


Eadem leges in Psal. 48. Concione. 1. Tom. 8. col. 445. d. & c.

IV. OBLATIO EVCHARISTIAE.

Pro ea vide testimonia inferius Abusu tertio, de Missa. Adhuc igitur ne Pappus doctrinam suam conformem & consentientem dicet cum Augustini doctrina?



ARTI-



ARTICVLVS XI.

DE CONFESSIOE.

Etiam hujus Articuli Conclusio Prima, quæ, *Absolutionem privatam in Ecclesijs retinendam esse*, asserit; sana, Catholica & Augustiniana est.

In Secunda Conclusione asseritur; in *Confessione non esse necessariam omnium delictorum enumerationem*. Ad ejus verò probationem ex Augustino nihil prorsus à Pappo ponitur, fortè quia illi probandæ sufficere putabat Pappus loca adducta pro Tertia, quæ Enumerationem omnium delictorum impossibilem affirmat, iuxta Psalm. *Delicta quis intelligit?*

Vbi monere visum est. Adversarios solere perpè Catholicos hoc nomine apud suos traducere, quasi à cōfitentibus omnium peccatorum enumerationem requirerēt absolutè, etiam eorum, quorum nō possunt meminisse: cū tamen nō requisierint unquam, nisi illorum Mortalium, quorum post factam diligentem & sedulam cōscientiæ discussionem memoriam possunt habere; sicut expressè habent Concilij Tridentini verba, Sess. 14. cap. 5. de Confessione. Et talem certè etiam Augustinum exegisse à suis, ex locis, quæ mox ex eodem subjicientur, manifestum est.

Neq; contra hoc quicquam evincunt quatuor Loci, à Pappo hîc citati. Primus enim inutilem dicit Cōfessionem factam hominibus, facta aliorum ex quadam curiositate cognoscere volentibus, non Sacerdotibus.

Iterum cōfiteri peccata nō dicit impossibile esse homini; sed quid agatur in homine, neminem cognoscere posse, nisi spiritum, qui est in homine. Quòd si spiritus qui est in homine, potest cognoscere quid agatur in homine; quid impedit, quò minus homo peccata sua alteri, si velit, confiteri queat? Quod tamen impossibile Pappus cum suis in Cōclusionione Tertia facit & judicat. Secundus locus prorsus ineptus est ad præsens institutum. Nihil enim aliud habet, nisi confitendum esse, tuncq; tandem oriri in homine veritatem, si postquam peccavit, cōfiteatur.

Sed

Sed quomodo hinc cōcludit Pappus, Augustinum facere enumerationem peccatorum impossibilem? III. Idem de Tertio & Quarto: aliud enim in ijs nō legitur, quàm Confessionem faciendam esse DE O. Sed quis dixit unquam, non esse confitendum DE O inprimis?

Hic annotat, & inclamat inter cetera Pappus; *locum postremum à se citatum ab Hieronymo Torrensi in sua Augustiniana Confessione productum esse, ut ostenderet, peccata cum circumstantijs necessarijs confitenda esse Sacerdoti; cum tamen Augustinus tantummodo agat, de Confessione DE O facienda; desiderat ob hoc candorem & integritatem in isto homine: Addit nè unum quidem ex *γυνοίαις*, & indubitatis Augustini Libris testimonium pro Auriculari Confessione produci posse.* Quòd si toties ego inclamando desiderare vellem Pappi candorem, & integritatem, quoties impertinēter, & extra propositum Augustinum citat, apud singulas controversas Conclusiones hoc necessariò mihi faciendum foret.

Sed quid si Torrensis ex eo, quòd DE V S diversis peccatis diversa adhibet fomēta, postquam in Cōfessione sibi sunt explicata, idem facere debere Sacerdotem, concludere voluisset? Sed quomodo is diversa adhibebit, nisi diversa ipsi fuerint detecta? quomodo omnibus, si nō omnia? Quòd addit Pappus ex *γυνοίαις* & indubitatis libris Augustini pro Cōfessione auriculari ne unicum quidem testimonium produci posse; facit, ut à numero istorum librorum citatos à Torrensi, scilicet librum de vera & falsa pœnitētia, item de visitatione infirmorum, in quibus hæc cōfessio expressissimè ponitur, rejiciat & excludat. Sed quis vel ipsi, vel Erasmo judicandi auctoritatem rātam tribuit, ut *γυνοίαις* & indubitati sint, quos pro talibus ipsi habent; spurij, quos spurijis ijdem annumerant? Sed ponamus, nō *γυνοίαις*; *γυνοίαις* an nō sunt Pappo Epistolę Augustini? nō, dicit: at is in Epist. 180. Tom. 2. col. 802. C. Absolutionē necessariā judicat: ex cōsequēti igitur etiā Cōfessionē. Quomodo enim, quod ignorat, absoluet Sacerdos? quomodo cognoscet, nisi ipsi in Cōfessione expositum fuerit? Verba sunt Augustini: Vbi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel nō regenerati exeunt, vel ligati, &c. Idē Lib. quinquaginta homiliarū, homil. 49. Tom. 10. col. 549. A.

Qui post uxores vestras vos illicito cōcubitu maculastis, si præter uxores vestras cum aliqua cōcubulistis, agite pœnitentiã, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergò sine causã dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erũt in cœlo? Ergò sine causã sunt Claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euãgelium Dei, frustramus verba Christi, promittimus nobis, quod ille negat.] Vbi notandum, Augustinum ab eo, qui cum aliena cōcubuit, hoc omninò requirere, ut malum hoc Sacerdoti exponat, tanquam illi, qui solvendi potestatem acceperit; neque satis esse putet, si de eo occultè apud Deum egerit.

Idem Homil. 50. col. 559. D.

Iudicet ergò seipsum homo in istis (peccatis) voluntate dum potest, & mores cōvertat in melius, nè cum jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur, & cum in se protulerit severissimæ medicinæ sententiã, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrãtur, & tanquam bonus incipiens jam esse filius maternorum membrorum ordine custodito à Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id tamẽ agat, quod nõ solùm illi profit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus nõ solùm in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atq; hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiã nõ recuset, non resistat, nõ lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat humorẽ. Hæc ibi Augustinus. Circa quem locum notandum, nõ posse ab Antistite, sive Sacerdote satisfactionis definiri modum, sicut neque cognosci, sit nè pœnitentis peccatum cum scandalo junctum, aut malum grave; an verò minus nisi peccata ab ipso in specie fuerint exposita.

Idem Tract. 49. In Iohan. Tom. 9. col. 165. B.

Quando cõtemnis, mortuus jaces; & si tanta, quanta dixi, cõtemnis, sepultus jaces: quando cõfiteris, procedis: quid est enim proce-


procedere, nisi ab occulto velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando, ideò cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus, Solvite illum, & finite abire: quid est Solvite, & finite abire? Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.

Idem Lib. Quinquaginta Homiliarum, Homil. 41. Tomo 10. colum. 526. A. B.

Et aliud dico, nō solūm post pœnitentiam ab istis vitijs (ebrietate, concupiscentia, furto, multi loquio,) sed & antè pœnitentiam dum sanus est; quia si ad ultimum vite steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit, &c.

Dicit Pappus, docere cōfessionem Augustinum in locis istis, sed nō omnium peccatorum. At præterquam quod loca adducta ostendūt, explicanda esse peccata; ita ut possit ab Antistite satisfactionis definiri modus, cognosci item peccatorum gravitas, nō etiam vel à Pappo, vel à quovis alio reddi potest ratio constās & firma, cur explicari unum debeat, & nō aliud. Siquidem quæ ratione ad remissionem unius requiritur cōfessio, eadem ratione requiritur etiam ad remissionem alterius.

Ex quibus omnibus fit, ut & hîc impudēter Pappus scripserit, ex omnibus Libris D. Augustini indubitatis nè unicum quidem pro Confessione Auriculari produci posse testimonium.



ARTICVLVS XII.

DE PŒNITENTIA.

Anæ sunt, & Augustinianæ in hoc Articulo Conclusiones Prima, & Secunda: quorum Prior *habet*; *Lapsis post Baptismum contingere posse remissionem peccatorum, quocumque tempore, cum convertuntur.* Posterior; *Ecclesiam talibus redeuntibus ad pœnitentiam, absolutionem impartiri debere; intellige, si fecerint, quæ requiruntur.* Idem iudicium de Septima,

ma, in qua damnantur *Anabaptista*, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum sanctum. Octava, ubi damnat eos, qui contendunt quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, ut peccare non possint. Modò intelligat de peccatis quibusvis, etiam venialibus, & cursu communi, sive lege ordinaria: si enim hoc nē per privilegiū quidem extraordinariē alicui cōcedi posse à Deo contendat, Augustino adversantur expressè, qui ab hoc eximit D. Virginem lib. de natu. & grat. cap. 36. Tom. 7. colum. 747. D. Excepta itaque, inquit, (ut & Pappus ipse hīc citat in testimonio tertio pro cōclusionē Octava) Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cū de peccatis agitur, habere volo quæstionem; indē enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.

Rejiciuntur autem, tanquam vel in totum, vel ex parte falsæ, & contrariæ Augustino, Tertia, quæ asserit; *Pœnitentiam propriè his duabus partibus constare, Contritione, & Fide*; si modò velint, & intendat, istis duobus, tanquam partibus vel essentialibus, vel integrantes, totam cōstare, & perfici pœnitentiā; Sin verò hæc duo ad pœnitentiā suo modo cōcurrere, & requiri dicere velint; neque Augustinum, neque nos reluctātes habebunt. Tantū fidem nō plus ad pœnitentiā, quā quodcunq; aliud opus bonum requiri, operumq; bonorum causā & originem esse, unā concedāt. Contritionem ipsi etiam nos inter partes pœnitentiæ referimus, ita ut locum primum eidem concedamus. At quia Thesis priorem sensum videtur intendere, per hoc quod dicitur, his duabus partibus pœnitentiā cōstare propriè; agē, ex Augustino notum faciamus, illum præter hæc duo plus quiddam ad perfectam & veram Pœnitentiā requirere, puta Confessionem, & Satisfactionem: quæ duo cum Contritione præsupposita jam in pœnitente fide Catholici omnes requirūt. Et de Confessione quidem satis ex paulò antea allatis locis apud Articulum præcedentem cōstat, utpote in quibus tam necessariam illam judicat, ut vix unquam pœnitentiæ sine Confessione meminerit.

De Satisfactione ex sequentibus, &c.

August.

August. in Enchiridio cap. 70. Tom. 3. colum. 177. A. B.

Sanè cavendum est, nè quisquam existimet, infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei nõ possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippè est vita mutāda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, &c. Et mox: Nemini enim dedit laxamentū peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si nõ satisfactio congrua negligatur. Lege etiam caput præcedens.

Idem Lib. Quinquaginta Homiliarum, homil. 30. Tomo 10. colum. 562. D.

Non enim sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, &c.

Idem eadem homilia colum. 557. a.

Quisquis hoc tempore per merita obedientiæ, & per satisfactionem pœnitentiæ non sibi providit locum in corpore Sacerdotis, quâ fronte impudentiæ tunc volet averti faciem Dei à peccatis suis, &c.

Neque obstant loca tria citata à Pappo pro hac Conclusionem; præterquam enim quod si probant quicquam, probant nihil nisi requiri ad pœnitentiæ fidem & cōtritionem; alia autem non excludunt, etiam Contritionis nõ aliter nisi sub nomine pœnitentiæ meminerunt, primusq; in ordine fidem pœnitentiæ fundamentum constituit, quod nõ plus de illa, pœnitentiæ scilicet, quàm alio quocunq; opere bono dici potest & debet. Secundus arguit peccatum fatentes, de eodem sibi succensentes, nõ tamen se humiliantes. Sed quid hæc vel ad propositum, vel cōtra sententiam nostram? Tertius ostendit, ad pœnitentiæ certam requiri odium peccati, & amorem Dei, quæ tātum abest, ut sententiam Pappi juvent, ut potiùs evertant.

Quarta Conclusio, in qua definiunt, vel describunt *Contritionem*, ita ut apud eam intelligant; terrores incussos conscientia, agnito

peccato, &c. Quæ quidem rejicitur, si his terroribus omnem Contritionis vim, & naturam, vel principalem saltem absolvi velint. Siquidem præter terrores hos Augustinus, peccati, sive vitæ malè actæ, odium, & amorem Dei, ipso Pappo teste, in tertio testimonio Tertiarum Conclusionis, in pœnitente frequenter communiterq; requirat.

Idem August. Lib. Quinquaginta Homiliarum, homilia ultima Tom. 10. col. 552. C.

Omnis enim, qui jam arbiter volūtatis suæ cōstitutus est, cū accedit ad sacramēta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia, cum baptizatur, soli parvuli sunt immunes.

Idem in Psalm. 74. Tom. 8. colum. 817. B.

Qui se cōterit, irascitur sibi; se habeat iratum, ut habeat illum propitium; se habeat judicem, ut illum habeat defensorem.

Neque his adversantur duo Pappi loci: prior enim in pœnitente jactantiam & superbiam damnat; alter verò Confessionem exemplo Davidis post peccatum Peccavi inquiētis, requirit. Sed quid hæc faciūt ad probandum Contritionis vim omnem contineri terroribus istis incussis cōsciētiae, agnito peccato: maxime etiam cū in neutro horum Augustinus Contritionis meminerit, ut mirum sit, Pappum non erubuisse, cū hæc ascriberet.

Quinta Conclusio Pappi; *Fidem concipi, dicens, ex Evangelio, seu Absolutione, & credere propter Christum remitti peccata, & consolari conscientiam, & ex terroribus liberare, &c.* rejicitur. Illa enim vera licet sit, magnam partem, si quidem loquamur de fide in sensu Catholico, qui antea expositus est, Articulo Quarto de Iustificatione; tamē si de fide speciali Lutheranorum accipiatur, & veritati, & Augustino repugnat, ut ex dictis in eodem articulo aper tissimum est. Accedit, quòd nō apparet, quomodo ex Absolutione fides nascatur & fiat, si quidem eam præcedat, ipsis etiam Adversarijs cōfitentibus, qui fidem partem pœnitentiæ faciunt; absolutio verò est aliquid posterius.

Neque incommodant nobis ullo modo, etiam hęc duo loca Pappi

Pappi: Nihil enim aliud habent, quàm pœnitenti confidendum nō in se, & sua iustitia; sed in misericordia Dei, & sacrificio, quod pro nobis oblatum est, quod nemo negat. Quomodo autē per hoc Augustinus nō tollat nostras dispositiones, & præparationes ad cōsequendam justificationis gratiam, ex ijs, quæ in articulo de Iustificatione produximus, cognoscere quisque poterit. Et primus quidem locus hīc à Pappo citatus, ex propitiatione, quæ apud DEVM est, nō concipi, inquit, fidem istam specialem, quam Lutherani jactitāt, & contra omnem Scripturam nobis obtrudere volūt, sed spem esse unam; quod cum Augustino semper docuimus. Monuimus etiam subinde, errare adversarios, qui fidem cum spe, & fiducia confundunt. Secundus locus tantū docet, nō esse desperandum; id verò quid ad fidem istam absurdam, quæ ex Absolutione concipi debet?

Sexta Cōclusio admittitur eatenus, quatenus docet, *sequi debere opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ*. Vellemus tamen, ut operibus ijsdem, quæ à jam per Christum mediante pœnitentiā, justificatis, fiūt, ut merendi, ita & satisfaciendi vim, nō quidem pro culpa, vel pœna æterna, quæ solius Christi merito pœnitenti condonatur, sed temporali, ad quam post remissionem, & culpæ, & pœnæ æternæ communiter adhuc virtute iustitiæ divinæ obligati sumus, unā cōcederēt, & hoc quidem cum Augustino, ut patet de eo ex citatis superiùs pro Satisfactione, & meritis operum bonorum factorum à justificatis, locis & testimonijs.

Decima Conclusio damnans *non docentes remissionem peccatorum per fidem contingere, sed propter nostram dilectionem & opera*, damnatur & ipsa. Et quidem ex mente Augustini, si solam fidem requiri statuat, eamq; specialem, & nihil prorsus cōducere eò cætera opera velit, prout ex citatis antea locis, pro valore operum præcedentium justificationem, satis constat.

Vndecima Conclusio, rejiciens docentes *necessarias esse Canonicas satisfactiones ad redimendas pœnas æternas*; si Catholicos notet, injuriam ipsis facit: quia illi satisfactiones istas valere dixerūt, nō ad redimendas æternas pœnas, sed temporarias dūtaxat, & purgatorij; & hoc quidem ex mente Augustini, ut ex dictis in hoc eodem Articulo circa Conclusionem sextam manifestum est.

Quia

Quia verò Pappus hîc subjungit, Augustinum in hoc loco, & articulo, de purgatorio sibi ipsi nō constitisse; modò enim hujusmodi locum esse affirmasse, aut saltem posse esse nō negasse; modò dubitasse; modò, & quidem reète, prorsus pernegasse; vindicandus est necessariò hîc vir sanctus, & ostendendum, ipsum firmiter semper tenuisse, & credidisse locum, in quo expiarentur animæ, decedentes hinc cum aliqua ad pœnam obligatione. Illud igitur clarum est ex locis sequentibus, quorum aliqua etiam Pappus ipse hîc annotavit.

*Augustinus de Genesi ad literam contra Manichæos,
Lib. 2. cap. 20. Tom. 1. col. 843. B.*

Sed qui fortè agrum nō coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ, in omnibus operibus suis; & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.

*Idem Lib. Quinquaginta Homiliarum, homil. 16. Tom.
10. colum. 450. C.*

Hi verò, qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit: Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamē quasi per ignem, per fluvium igneum de quo propheticus sermo commemorat; Et fluvius igneus curreat ante eum; per fluvium igneum, & vada ferventibus globis horrenda transibunt.

*Idem Serm. 41. de Sanctis, qui est quartus de Animab.
defunctorum, & totus de igne purgatorij, Tom. eo-
dem, col. 1251. D.*

Sed dicit aliquis; non pertinet ad me, quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero; nemo hoc dicat, fratres charissimi; quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quod potest in hoc seculo pœnarū videri, aut cogitari, aut sentiri, &c.

Idem Lib. 21. cap. 16. de Civit. Dei, Tom. 5. col. 1297. D.

Non tantum pœnis (loquitur de infantibus baptizatis mo-
sienti-

rientibus) non preparatur æternis, sed nec ulla post mortem purgatoria tormenta patitur.

Idem eodem Lib. cap. 24. colum. 1307. a.

Nam pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorūdam piorum exauditur oratio.

Neque vir sanctus simpliciter tantum locum hūc adstruit, sed & qui hoc igne purgandi sint, & qui minus, multis in locis determinat; Maximè lib. 21. de Civit. Dei cap. 1. Item Serm. 41. de Sanctis. Alibi etiam opera, quibus animæ ibidem detētæ maximè juvantur, definit; puta Serm. 34. de verbis Apostoli. Item lib. 9. Confessionum cap. 12. Epist. 64. ad Aurelium in Enchiridio cap. 110. & aliās si sequentissimè.

Nihil juvāt Pappum loca adducta, in primis nō tria illa, in quibus dicit Augustinum dubitasse. In Primo enim non dubitat de purgatorio, live de pœnis, quas ibidem cōstitutæ animæ patiuntur; sed de modo, & qualitate, quæritque, an animæ post hanc vitā urantur igne illo doloris de amissione temporalium, quo hīc uri solent, cum rebus valdè dilectis carere coguntur.

In Secundo patiter nō dubitat de pœna purgatorij, sed pœna certa; quærit namque, an qui hīc inordinatè dilexit divitias, vel uxorem, transiens ex hoc mundo & vita ad aliam, ex quo invitus illa, quæ immoderatè hīc dilexit, deserit, etiam hūc dolorem post hanc vitam sensurus sit, & experturus.

In Tertio itidem non dubitat de loco Purgatorij; sed modo & qualitate pœnæ, sive ignis; quærit enim, & dicit, posse quæri; an ignis purgatorij secundum substantiam sit idem cum igne gehennali.

Octo verò locis, in quibus Pappus Augustinum purgatorium prorsus negasse scribit, nihil efficit aliud, quàm quòd vanitatem, & temeritatem suam manifestè prodit. Primus enim nō purgatorium negat, sed locum corrigendi post hanc vitā, mores; quòd neq; nos infitiamur: nō enim qui in purgatorio sunt, mores mutant, ut ex bonis mali, vel ex malis boni fiant; sed pœnas temporarias, quas adhuc debent pro peccatis, in hac vita nō plenè expiatis, exsolvūt. Secundus illud Salvatoris, Donec solveris novissimum

K

vissimum

vissimum quadrantem, de pœna æterna accipi posse probat; sed quomodo Pappus hinc, Augustinum Purgatorium negare, concludet? Tertius statuit optimè & verissimè nō nisi duo æternitatis loca; scilicet regnum cælorum, & gehennam: tertium, qui purgationis est, & temporarius, nō tollit, quod ex toto contextu, qui de parvulis non baptizatis, liquet. Quartus aliud nō ostendit, quàm conversioni, & pœnitentiæ post hanc vitam nō esse locum: minimè autem ostēdit, nō esse locum satisfactioni, pro peccatis remissis quidem, non tamè plenè, quoad pœnam temporalem, expiatis. Idem iudicium est de Quinto, & Septimo; tantum enim docēt, neminem post hanc vitam posse mereri quidquam, aut ad Deum, nisi conversus hîc fuerit, converti. Sextus contendit; illius, quod scriptum est; Non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti; eundem sensum esse cum illo, quod apud Matthæum legitur: Non remittetur ei neq; in hoc sæculo, neq; in futuro. Sed quid hoc ad propositum?

Octavus aliud non vult, neque habet; quam hominem illa ad quæ tenetur, dum vivit, præstare debere, & sic seipsum redimere, neque alijs redemptionem suam committere; idque tunc, quod timendum, nè de redemptione nostra alijs dediti parùm solliciti sint futuri; tunc quod redimi non possint per alios post hanc vitam, nisi ij, qui se, vt redimi possent, dum viverent hîc dignos fecerunt.

Et certè omnia loca ista tam à proposito sunt aliena, ut ipse credam, Pappum ipsum, quæ ejus videtur esse circumscriptio & doctrina, nūquam cum scriberet, eò valere sensisse, quò jam con- torquere vult: in quo ipsius conscientiam appello.

Taceo hîc, quòd D. Augustinus pœnitentiam inter Sacramenta refert, quòd illi primùm in Apologia concesserunt, jam negant. Item quòd laicus & fœmina possit absolvere non minus atque Sacerdos, vel etiam Ponti-
fex summus.



ARTICVLVS XIII.

DE VSV SACRAMENTORVM.

N hoc Articulo Conclusio Prima, quæ tradit; *Sacramenta esse instituta, non modo ut sint nota professionis inter homines; sed magis ut sint signa, & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam, & confirmandam fidem in his, qui utuntur proposita*: admittitur, modò sentiant; fidem non acquiri primùm, vel gigni in homine per usum Sacramentorum, siquidem præcedat (excipio Baptismum); sed augeri, & crescere; intelligantque non illam fidem specialem, quam Augustinus nunquam vel cognovit, vel tradidit: sed illam, quæ est donum Dei, quo illuminati, firmiter assentimur divinitus revelatis, &c. Vide suprâ articulo. 4. & 4. Moneo etiam hîc, quòd quantumuis testimonia allata sint vera, nihil tamẽ prorsus ad Conclusionem probandam faciãt. At Pappo, ut aliquantulum promissum præstare voluisse ipsum, cõstaret; undique apta, & inepta corradenda & congreganda testimonia erant, siue conveniẽtia essent, siue minùs.

Addere etiam debebant ad illa, quæ Sacramentis hîc benè tribuunt, si Augustiniani boni & esse, & haberi voluissent, eadem Sacramenta secundum D. Augustinum nõ tantùm signa & testimonia esse divinæ erga nos volûtatis, sed ejus etiam benevolentiam conciliare, & gratiam conferre, prout ex articulo. 5. liquet.

Secunda Conclusio, nimirum, *Sacramentis utendum ita, ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur*; quomodo, & in quo sensu, & vera, & Augustiniana sit, ex modò dictis hîc, & antea circa articulo. 5. manifestum est. Iterum tamen moneo, & hîc à Pappo citatos locos duos, proposito incõvenientissimos esse. Primus enim plus non habet, quàm suscipientis fidem ad Sacramenti veritatem non requiri, licet ad salutem, siue viam salutis. Secundus, Sacramenta fluxisse ex latere Christi perforato lanceâ, ijsq; credentes initiari. quæ vera omnia, sed non ad propositum.

Tertia Conclusio, quæ damnat docentes; *Sacramenta justificare ex opere operato, nec docent requiri fidem in usu sacramentorum, quæ credat remitti peccata*: Si quidem notet Catholicos, injuriam

ipsis facit: Illi enim nunquam docuerunt, iustificare Sacramenta ex opere operato in sensu, quem ipsis affingunt Adversarij; scilicet: quod iustificet etiam non credentem, & nulla ratione dispositum; sed in hoc tantum, quod non obstante ministri indignitate, iustificent, modo qui ea suscipiunt, bene recte que dispositi sint. Atque hic sane mirandum vehementer; quare tum Augustana Confessio, tum Apologia, tum omnes Lutherani tam crassum errorem, tam impudenter toties nobis affingant. Tantum abest autem, ut sine fide, & quidem quæ credat remitti peccata, non huic vel illi, sed ritè disposito docuerint iustificare, ut fidem, sicut operis boni cuiusvis, ita & iustificationis fundamentum semper fecerint. Potius se ipsos notant Adversarij, siquidem in II. Conclusionis articulo V. fidem ex Sacramentorum usu effici primum tradant. Si efficitur; Ergo ante usum eorum non erat: ergo sine fide suscipientium Sacramenta operantur, & effectum suum habent, id quod supra Articulo V. ex Augustino multis reprobaturum est.

Est verò iterum Pappus plurimum vel ineptus, vel distractus; in citandis pro hac sua Conclusionis locis. Primus enim ostendit tantum à damnatione immunes non fore eos, qui peccant, sive opera carnis faciunt, quantumvis Christi Baptismate abluti, corporis & sanguinis eius participes facti sint. Secundus, Sacramentorum dignitatem commendat merito & extollit. Tertius tantum ostendit, Christum voluisse pauca, non multa proponere Sacramenta. Id verò quid quæso ad rem nostram?

Tacent hic de multis alijs, quæ de Sacramentis habet Augustinus; puta de numero, ministro, institutione, & similibus; quæ cum ipsis prudens prætergredior: sat esse existimans, ostendisse dissensionem ipsorum ab Augustino, in ijs, quæ ipsi ponunt.





ARTICVLVS XIV.

DE ORDINE ECCLESIASTICO.

Constat Conclusionē unica, quæ tradit; *neminem debere in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi si rite vocatus.* Quæ etiam verissima est. At dum illi hodie hanc vocationem ad Magistratum Civilem & politicum potiùs, quàm Episcopos transferunt, quàm bellè cum Augustino cōveniant, & cōsentiant; ex sequētibus locis liquet.

August. Epist. 225. Tom. 2. colum. 872. B.

Ego autem post primos eorum clamores, cūm eis dixissem de illo (Piniano) invito non ordinando, qua jam promissione detinerer, atque adiecissem, quòd si mea fide violata illum haberem Presbyterum, me Episcopum non haberent, ad nostra subsellia, relicta turba, redieram. Tūm illi aliquantulum inopinata mea responsione cunctati atq; turbati, velut flamma vento paululūm pressa, deinde cœperunt multò ardentius excitari, existimantes fieri posse, ut vel mihi extorqueretur, illud nō servare promissum, vel me tenente promissi fidem, ab alio Episcopo ordinaretur.

Possidonius in vita Augustini cap. 4. Tom. 1. col. 862. B.

Eum ergò (Augustinum) tenuerunt, & ut in talibus cōsuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt.

De Episcopis; quòd non nisi ab Episcopis ordinari possint & debeant, ex eodē Augustino multò evidentius est in Brevicullo collationum cum Donatistis, collatione tertiæ diei, cap. 5. Tomo 7. colum. 584. C.

Habet Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ut nō Numidiæ, sed in propinquiores Episcopi, Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinēt, sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus, &c.

Testimonium appositum hīc à Pappo, rogo Lector ut cum Thesi conferat, si quæ nihil cum Thesi commune habere viderit,

mecum istius hominis miretur consuetudinem. Præterea visum est monere, 1. sicut alibi, ita & hîc plurima præteriisse Pappum, & Confessionis architectos, quæ ponit Augustinus: Talia sunt, quòd Ordines plures ponit Augustinus Adversarijs; quòd ordinationē sacram inter Sacramēta refert: quòd Episcopos à Presbyteris discernit. 2. hanc Conclusionem ab ipsis adversarijs nō observari, qui calicem suum sæpenumerò per puros Laicos porrigi populo jubent, aliâq; multa in hac etiam re faciunt & docent cōtra Augustinum, ut album non sit tam dissimile nigro, quàm doctrinâ Lutheranorum doctrinæ Augustini.



ARTICVLVS XV.

DE RITIBVS ECCLESIASTICIS.

Rima Conclusio Pappi, asserens; *Ritus illos servandos esse, qui sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranquillitatem, & bonum ordinem in Ecclesia; sicut certa feria, festa & similia*, nostra est. Notat tamē Lector, Augustini testimonia, à Pappo allata, nō eò valere, ut illi ritus serventur, qui sine peccato servari possunt; sed in genere, in ritibus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, morem populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenēda esse, ut disertè Testimonium Secundum habet.


Secunda Conclusio, quæ est; *De talibus rebus tamen admonentur homines, nè conscientia onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit*: loquitur vel de ritibus universalibus per totam, & universam Ecclesiam usurpatis, vel de particularibus, iisque vel præceptis, vel liberis, & in arbitrio cuiusvis relictis. Iterum, quando eos necessarios negat ad salutem, vel sensus est, illos ex se non esse necessarios ad salutem; vel sine salutis periculo à quovis, quantumvis præcepti sint, prætermitti & præteriri posse. Quòd si itaq; Conclusio loquatur de ritibus universalibus, & eos sine salutis periculo negligi à quovis posse, statuat; cōtra Augustinum expressè est, qui (ut ipse Pappus citat in Testimonio II. pro hac Cōclusionē) Epistol. n8. ad Ianuarium cap. 5. col. 558. d. & 559. a.

& 559. a. clarissimè dicit: Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insanix est. Quibus adde, quæ supra Artic. 7. de Ecclesia, ex eodem pro Traditionibus Apostolicis citavimus. Quòd si verò loquatur, de ritibus particularibus præceptis, adhuc fallit, & cõtra Augustinum est, qui in Primo Testimonio ab ipso Pappo citato pro Conclusione prima, ex Epist. 119. ad Iannar. cap. 18. Tom. 2. col. 576. a. b. iterum expressè scribit, de particularibus ritibus, sive de ijs, quæ variè per diversa loca observantur, tanquam saluberrimam regulam retinendam esse, ut quæ nõ sũnt contra fidem, neque cõtra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunq; institui videmus, vel instituta cognoscimus, nõ solùm nõ improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur, &c.

Neque quicquam obstant huic Assertioni loci adducti à Pappo. De secundo enim quomodo potius causam nostram confirmet, quàm convellat, paulò antè monstratum est. Primus verò loquitur de ijs, qua variant in diversis Ecclesijs, & liberæ observationis sunt; & vult nihilominus, ut quisq; liber quidem sit, non ad ritum Ecclesiæ, in qua est, negligendum; sed ad eum intermitendum, què antea habuit, ut nihilo minus adstrictus sit. Ne verò diu de hac re perspicua disputem; rogo Lector legat, si nõ Epistolam totam Augustini, ad minimum loca Pappi.

Tertia Conclusio, quæ tradit; *Traditiones humanas institutas ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, adversari Evangelio, & doctrinæ fidei;* obscure posita est; quia, quid per traditiones humanas intelligat, nõ explicat. Si tamè intelligat eas, quas Conclusio Quarta exprimit; scilicet de cibis, & diebus festis, Augustino expressè repugnat, prout probatur inferiùs Abusu V. de discrimine ciborum. Tantum verò abest, ut loca pro utraq; citata causam Pappi juvent, & fulciant; ut potius enervent: Vnicus enim pro Tertia, reijcit privatas, & prorsus inutiles quorundam observationes, tam supersticiosè observari solitas, ut præferrent illas ijs, quæ in divinis libris sint præceptæ. Excipit autem expressè eas, quæ vel in Concilijs Episcoporum sunt statutæ, vel Ecclesiæ universæ consuetudine roboratæ, quales

les esse Traditiones de jejunio & diebus festis, nullus quantumvis extremè impudens negare potest. A Thesi verò toto cœlo distat. Primus pro Quarta, primò in Thesi prorsus non convenit: deinde nihil vult aliud, quam Testimonium primum secundæ Conclus. in hoc articulo: ut vehementer mirer, Pappum nõ & sibi, & labori in adscribendis ijs parcere voluisse. Secundus locus pro eadem mirè Pappum confundit: disputans enim ibi de diebus, quibus jejunandum est, inquit: de eo quidem se præcepto Domini, vel Apostolorum non invenire quicquam definitum; existimare tamen, quòd Sabbato non jejunare aptius sit, non quidem ad obtinendam justitiam, quam fides obrinet; sed ad significandam requiem sempiternam. Quid verò hoc iterum ad Conclusionem?



ARTICVLVS XVI.

DE REBUS CIVILIBVS.

IN hoc Articulo admittentur, tanquam veritati, & Augustino cõsentaneæ, Cõclusiones, I. II. III. V. VI. VII. modò in Quinta non aliud fortè intendant. ultra quàm verba eius habent.

Quarta, in qua *damnant illos, qui Evangelicam perfectionem non collocant in timore Dei, & fide; sed in deferendis Civilibus officijs;* in quos posita sit, Catholicos, an alios, non apparet: si enim Catholicos posuisse dicant Evangelicam perfectionem, in deferendis Civilibus officijs, iniqui in ipsos sunt; si quidem desertionem istorum perfectionem esse dixerint nunquam, sed viam pertingendi ad eam; idque hac ratione moti fecerunt, quòd vix fieri posse putarent, ut qui sæcularibus negotijs implicatus est, eadem, qua is, qui ab illis liber est, quiete & tranquillitate animi divinis vacaret, operamque daret. Neque dum hoc sentiunt, ab Augustino recedunt, quin verò sententiam ejus mordicus sequuntur & retinent, sicut inferiùs, Abusu sexto, de votis Monachorum, uberimè probabimus.

Mirum verò est, in quem finem subjuxerit Pappus, huic Conclusioni,

clusioni, quatuor à se posita loca; cum nè minimā quidem cūm Cōclusionē affinitatem habeant, sed ostendāt tantūm, vel Imperatorem, præterquam quòd terrena curat, etiam curare debere divina, eatenus nè in res divinas impunè peccetur, ut Primus: vel, Imperatores & Reges Deo servire, si in regno suo jubeant bona, mala prohibeant, nō solūm quæ pertinent ad humanam societatem; verūm etiam, quæ ad divinam religionem, ut Secūsus. Tertius externus prorsus, & à re præsentī alienus est: aliud enim non habet, quàm quòd licet in Christo nulla sit vel gentiū, vel sexus, vel conditionis distinctio, quòd tamē illa distinctio adhuc sit & maneat in cōversatione mortali. Quartus nihil aliud vult, quàm omnibus officijs esse in scriptura præscriptam vivendi normam; neq; quenquam ab honesta vivendi ratione excusari, quòd Sæcularis sit. Hæc omnia quid ad positam Conclusionem cōfirmandam faciant, divinent qui possunt; ego nihil video, video magis contrarium. Cætera loca adducta pro Conclusionibus concessis, quorsum opus est examinare, postquam ipsas Conclusiones recepimus: tamen addo, pleraque nihil facere ad rem, & esse in Augustino multò aptiora.



ARTICVLVS XVII.

DE EXTREMO IVDICIO.

Per omnia sanus, Catholicus & Augustinianus est.



ARTICVLVS XVIII.


DE LIBERO ARBITRIO.

Hic Catholicis cum Adversarijs per omnia, uti quidem hic ponitur, communis est; excepto eo, quòd in Conclusionē Quintaimmeritò damnantur illi, qui docent, *posse hominem sine Spiritu sancto solis natura viribus præcepta Dei facere, quoad substātiā actuum.* Cūm enim illi ipsi etiam in Conclusionē Prima ultrò dederint & confessi fuerint, *habere*

L bere

bere voluntatem humanam aliquam libertatem, ad efficiendam civilem Iustitiam, & deligendas res rationi subiectas; non apparet, cur hoc Secundum negent, illud verò statuant, siquidem unum & idem prorsus sint.

Vndè intelligitur, Pappum, & omnes Lutheranos nescire, quid Scholæ nominent substantiam actuum; cum rem his verbis traditam negent, alijs ipsam confiteantur. Sed relegat Pappus in gratiam nostri, si libet & vacat, à se adscripta Testimonia, & significet nobis, quibus verbis Augustinus neget, posse nos facere præcepta Dei ex viribus nature, quoad substantiam actuum: aut si id nō potest, fateatur se Augustino vim facere.



ARTICVLVS XIX.

DE CAUSA PECCATI.

SAnus est, Catholicus & Augustinianus. At, quid Pappus Luthero suo respōdet, qui expressè in Assertione articulorum damnatorum à Leone X. Pontif. artic. 36. scribit, *Liberum arbitriū esse rem de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccare mortaliter: Item Deum mala opera in impijs operari: Item, Hominem nulla opera in manu sua habere: Item, non esse hominem in manu sua, etiam mala operantem & cogitantem, quia Deus operetur omnia in omnibus: Item, Liberum arbitrium esse figmentum in rebus, vel titulum sine re, quia nulli homini sit in manu sua quippiam cogitare mali, aut boni; sed omnia evenire de absoluta necessitate. Quid Philippo? probante Luthero, necessariò omnia evenire in omnibus creaturis: Deum propriè omnia agere in creaturis, ut proprium opus Dei sit Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio: neg. id permissivè, sed potenter, Deum mala etiam facere: nullam esse contingentiam, sed necessitatem quandam, juxta destinationem Dei. Quid ad alia multò plura? quæ ad hunc, & præcedentem Articulum pertinent; an & in his Augustinus Lutheranus est?*



ARTICVLVS XX.

DE IVSTIFICATIONE, ET BONIS
Operibus iterum.

UIta hinc ex Confessione sua congerit Pappus, quæ quàm bellè conueniant cum Augustini sententia, magna ex parte ex dictis circa Articulum Quartum liquet. Quia tamè visum est Pappo cum suis, actū agere, & multoties unam & eandem rem repetere, obsequemur nonnihil ipsi, & quàm Augustinianus hinc sit, adhuc magis ob oculos legenti ponemus.

Conclusio Prima Pappi, quæ est: *Opera nostra non possunt reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum, & gratiam, & justificationem*: si loquatur de operibus præcedentibus justificationem, prout in superioribus, maximè Articulo IV. aliquoties dictum est, admittitur; illa enim non merendi, sed disponendi vim habent ad omnia ista, id quæ non, nisi quando Deo excitante & adiuuante fiunt. Quòd si verò loquatur Pappus, de operibus hominis iustificati, siue quæ sequuntur justificationem, velit quæ dicere, ne illa quidem ullam habere vim merendi, vel gratiæ, vel acceptæ iustitiæ incrementum, sicut nec gloriam; adversari ipsum Augustino ex allatis circa Artic. 4. constat.

Neque quicquam contra nos probant loci hinc citati. Primus enim docet nihil nisi iustificatum debere cõfidere, non in operibus suis, sed in misericordia Dei. Item abesse debere ab homine, quantumvis iustificato, superbiam & præsumtionem, quod etiam ipsi nos volumus. Idem iudicium de Secundo.

Secundæ Conclusionis, quæ habet; *Remissionem peccatorum, & gratiam, & justificationem tantum fide consequimur, etc.* falsitas patet ex locis de eadem re citatis circa sæpè dictum Articulum 4. Vbi ostensum, quomodo Augustinus neque fidem solam requirat, neque fidem specialem Adversariorum usquam habeat vel intelligat.

Loca tria, pro hac citata, ostendunt nihil nisi fidem in Christum requiri ad justificationem, sed neque solam, neque specia-

lem istam Adversariorum: quin & Secundo testimonio expressè addit ad fidem, charitatem. undè nihil nobis, sed Pappo potius obsunt.

Tertiæ Conclusionis Pappi; *Qui confidit, operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum*, vel veritas, vel falsitas, sicut & cum Augustini sententia, vel consensio, vel dissensio, ex modo dictis, & antea circa Artic. 4. manifesta est.

Loca subjuncta, operibus legalibus, citra fidem & gratiam factis, justificandi vim adimunt, ut expressè habet Testimonium Tertium. At nullus eorum, solam fidem ad justificationem, sufficere statuit.

Quarta Conclusio, quæ habet; *Hæc doctrina de fide ubiq; in Paulo tractatur*: vera est. At verum unã est, tractari illam, nō in sensu Adversariorum, sed Catholicorum: id quod Augustinus in loco à Pappo hîc subjecto expressissimè affirmat, ita ut vel unicū hoc Testimonium Pappum cum suis cujusdam vel obstinationis, vel certè maximæ inconsiderationis apertè convincat: inquit enim, Intentionem Apostoli in Epistola ad Rom. esse, docere neminem de operibus gloriari debere, quasi ipsis deberetur gratia, cum nō præcedant gratiam, sed sequantur, accipiatq; quis gratiam, non ideò quia benè operat⁹ est, sed benè operari posse per hoc quòd gratiam per fidem perceperit.

Quinta Conclusio Pappi; *Et nè quis cavilletur à nobis novam Pauli interpretationem excogitari, tota hæc causa habet testimonia Patrum*. Quia nuda nomina, & loca authorum sine verbis illorum, & nihil ex Augustino ponit; semel & breviter respōdemus, ex omnibus citatis, nè unum quidem accepisse, & interpretatum esse Paulum ad eum modum, quo illum hodie accipiūt, & interpretantur adversarij; Pappo si diversum probare libuerit, habebit qui respōdeat: Tātum incidi casu in locū, quem ex Irenæo nominat, in quo est; debere nos hæreticis instatissimè resistere, pro sola vera, & vivifica fide, quã ab Apostolis Ecclesia accepit, & distribuit filiis suis. Et quidē si cætera testimonia huic similia sunt, ridendū magis est, quàm soluendū, quod Pappus adducit. Quanquã libenter ignosco Pappo, q̄ ista incōsideratè, fortè sine lectione autorū ipsorū descripsit ex Vvitenbergensiu scripto cōtra R. Bellarminū.

Sexta

Sexta Conclus. *Augustinus multis voluminibus defendit gratiam, & iustitiam fidei contra merita operum.* Responsi loco hoc habeat, defendere; at multò aliter, quàm Adversarij: disputat quipò in libris istis magna ex parte cõtra Pelagianos, qui operibus ex naturæ viribus, citra fidem in Christum, & gratiã ejus factis, vim justificandi salvandiq; tribuebant; quos redarguit meritò, & refutat. At verò eundem operibus, ex fide & gratia à justificatis factis, merendi vim tribuere, & tanquam necessaria ad salutem requirere, ex ijs, quæ circa artic. 4. produximus, testimonijs comperitissimum est. Neque proferet Pappus ex omnibus, quos hìc citavit, libris, vel unicuique, qui hoc inficietur & neget, ita ut optemus omnes istos libros iudices causæ nostræ.

Septima Conclus. *Conscientia non possunt reddi tranquilla per ulla opera, sed tantùm fide, cum certò statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum;* facile refutatur ex dictis. Si enim Augustinus ad consequendam justificationis gratiã, vel ad placandum Deum, alia quædam præter fidem, per modum dispositionis, requirit; si item per fidem aliud, quàm adversarij intelligunt, intelligit; quæ ambo jam antea à nobis probata sunt; manifestè certè hujus Conclusionis apparet falsitas, cum Augustini sententia dissensio & difformitas.

Tantumq; abest, ut D. Augustinus quenquam statuere jubeat certò, se placatum habere Deum, ut potiùs hominem quantumvis nullius sibi mali conscius sit, semper tamè timere velit, & sese coram Deo humiliare, misericordiæ ejus potiùs inniti, quàm de operibus suis præsumere; Idq; nò quòd diffidere quemquam velit, de Christi meritorum sufficiëntia, & Dei benignitate, sed quòd homo, quid, quàm benè & quantum eorum, quæ ex parte ipsius ad placandum Deum, & acquirendam gratiam requiruntur, fecerit, haud certò cognoscere aut exploratum habere possit: Sic enim habet Lib. de perfectione justitiæ, Respons. 19. Tomo 7. colum. 1432. a.

Nos autem dicimus ideò sequutum esse, Quis gloriabitur castum se habere cor? quoniam præcessit, Cùm rex justitiæ sederit in throno. Quantalibet enim justitia sit præditus homo, cogitare debet, nè aliquid in illo, quod ipse nò videt, inveniatur esse culpandum,

pandum, cùm Rex justus sederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta nō possunt, nec illa, de quibus dictum est: Delicta quis intelligit? Cùm ergò rex justus sederit in throno, quis gloriabitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccato, nisi fortè isti, qui volunt in sua justitia, nō in ipsius judicis misericordia gloriari?

Idem in Enarrat. Psal. 50. Tom. 8. colum. 489. c.

Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifesta mihi. Quæ occulta? quæ incerta? quia Deus ignoscit & talibus. Nihil tam occultum, nihil tam incertum. Ad hoc incertum Ninivæ pœnitentiam egerūt. Dixerunt enim, quamvis post minas Prophetæ, quamvis post illam vocem, Triduo & Ninive subvertetur; dixerunt apud se, petendam esse misericordiam. Dixerunt ita apud se disceptantes; quis novit si Deus fleat in melius sententiã suam, & misereatur? Incertum erat, cum dicitur, quis novit?

Neque obstant istis quinque loca hîc citata à Pappo. Primus enim nihil habet aliud, quàm quòd quantumvis ipse Augustinus conscientiam habeat intrepidam, quòd tamè se sub oculis Omnipotentis Dei justificare nō audeat; magisq; velit expectare ab illo effluentem misericordiæ largitatem, quàm judicij summum examen. Sed quomodo concludet hinc Pappus, unumquenq; debere certò statuere, se Deum habere placatum? Contrarium cōcludet, qui vel leviter & obiter sapit. Secundus pariter plus nō habet, quàm cùm homini de seipso sit incerta voluntas, & sua, & Dei, Dei verò nihilominus sit firmior, is potius Dei, tãquam firmiori, quàm suæ, tãquam infirmiori fidem suam, spem, charitatemq; debeat committere. Vbi expressè Thesis Pappi cōfutatur, qui hoc soli fidei tribuere cuperet. Tertius asserit firmam promissionem Dei, quã promisit regnaturum se in Sanctis suis. De ea igitur neminem debere prædicare cum trepidatione, cùm nō secundum merita, sed illius misericordiam sit firma promissio. Sed quid hoc ad propositum? an enim loquitur hîc Augustinus, de pacandis cōscientijs per fidem? Et an loquitur de hominibus particularibus, & de unoquoq; in specie? quid cogitat Pappus?

Quar-

Quartus nihil habet, nisi Sanctos nō venturos in iudicium, quia audiant verba Christi, & credant ei. Quintus nō de operatione nostra prælumendum esse dicit, sed de gratia Christi; quæ doctrina nostra semper fuit. Sed quid hæc ad propositum? Pappus ostendere debebat, gratiam certò & infallibiliter unicuiq; dari, modo statuat certò, eam sibi dari propter Christum; de qua fiducia propria nè gri quidē Augustinus habet in omnibus istis locis.

Octava Conclusio Pappi; *Nomen fidei non significat tantum historiam, qualis est in impijs & Diabolo, &c.* Si Catholicos in illa notet, & per fidem aliud nō intelligere dicat, quàm notitiam historiam, qualis est in impijs & Diabolo, falluntur & iniqui in illos sunt. Illi enim fidem semper esse dixerunt & dicunt adhuc, donum Dei, quo illustratus homo, firmiter assentitur omnibus revelatis divinitus: sive, quo credimus Deo quidquid credendum nobis proponit. Et quidem hæc fidei definitionem ex ipso Augustino didicerunt, prout ex citatis de eadē re circa artic. 4. manifestū est.

Quod in eadem Conclusionem addunt, credi debere, non tantum historiam, sed etiam historiam effectum, videlicet hūc articulum remissionem peccatorum, &c. admittitur: quia iste articulus unus est ex credendis & revelatis divinitus. Si verò hanc fidem ad unumquemque seorsim applicent, & velint debere ab unoquoque credi, id est, statui certò sibi propter Christum peccata remitti, quicquid fecerit vel egerit; cōtra Augustinum sentiunt, uti ex allatis circa artic. 4. constat, & latius ex eo, quòd ineptè fidem cum fiducia, & spe confundunt, quæ semper D. Aug. ita distinxit, ut fidem & spei & charitatis, sicut & aliarum virtutum, fundamentum fecerit passim, maximè verò lib. de fide & operib. cap. 13. 14. 15. & 16. Vbi in eo totus est, ut ostendat, fidem sine operibus quidem esse posse, non autem prodesse.

*Idem Augustin. de predest. Sanctorum cap. 7. Tom. 7.
colum. 1240. A.*

Ex fide autem ideò dicit justificari hominem, nō ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nūcupantur, in quibus iustè vivitur. Et post col. eadem. B. Et dicit à vobis (Pelagianis); Fides est à nobis, cætera à Domino,
ad o-

64 PARALLELA CONFESSIO.
ad opera justitiæ pertinentia, quasi ad ædificium nõ pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum,

*Idem in Psalm. 134. Expositione mystica, Tom. 8.
colum. 1554. B.*

Primitias enim habemus ipsam Fidem unde incipimus, Ecclesiæ quippè dictum est; Et venies & pertransies ab initio fidei, & nemo incipit benè vivere, nisi à fide. Fides ergò nostra in primogenitis nostris est. Quando custoditur fides nostra, cætera subsequi possunt, &c.

Quòd si quandoq; fidei ea, quæ spei, & charitatis sunt, tribuit, facit hoc, quia sicut modò dictum est, illorum fides radix & fundamentum existit; & quia hæc si quidem formata & viva sit, secum habet.

Neque obstant quicquam loci à Pappo pro Conclusionem octava & nona citati; unicus enim citatus pro. 8. ostendit, nos credere, quod nõ videmus, & peccatum Iudæorum maximum, fuisse infidelitatem: nos verò fide mundatos, aliquãdo visuros Christum in quem credimus, &c. Ex his nũc Pappus concludat aliquid, ut videamus, quomodo Thesin suam probet. Primus pro. 9. ostendit sine fide in Christum mediatorem, neminem Deo reconciliari posse. Idem faciunt secundus, tertius, & quintus; nisi quòd ad alia tertius hoc addit: quòd inter credere Christum, & in Christum, distinctionem hanc facit, quod credere Christum sit quorumvis, etiam Dæmonum: credere in Christum, illorum tantum, qui cum fide spem habent, & dilectionem: qui etiam soli membra in corpore ejus efficiuntur. Ex quo evidentissimè colligitur, ipsum spei & dilectioni tribuere, quæ fidei nõ tribuit, infirmamq; esse idcirco collectionem & Pappi, & suorũ colligentium; Augustinus vel alius quispiam tribuit remissionem peccatorum, & justitiam fidei: Ergò secundum ipsum sola fides justificat. Præter alia enim, quæ infirmam, & clumbem argumentationem hanc ostendunt, hoc præcipuè animadvertere est, quòd quotiescunque hæc vel Augustinus, vel alius quispiam fidei tribuit, loquitur de fide formata, id est, spe & charitate instructa, quã hic Augustinus appellat fidem in Christum. Et hinc in testimonio ter-

cio ex.

no expresse dicit, illum credere in Christū, qui & sperat in Christum, & diligit Christum; Et, qui fidem sine spe, & dilectione habet, credere, esse Christum, nō credere in Christum. Quæ verba utinam & Pappus, & omnes Lutherani apertis oculis aspicerent, sic enim profectò nos isto labore liberarent. Quartus itidem ex Serm. 120. de Temp. illud quod Latroni in cruce præstitum est, consolationem & spem esse dicit totius populi, quod nos omninò, & quidem totidem verbis volumus. Addit autem in eodem loco cōtra Pappū Augustinus, tūc alicui in semetipso Christum ingressum Paradisi aperuisse, si crimina sua probabili conversatione damnaverit, & in Christum toto corde crediderit.

Decima Conclusio Pappi: *Necesse est bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei.* Quomodo vera, & falsa, videat Lector supra artic. 6. Loca adducta hic aliud nō probant, quàm vel nō propriam, sed Dei gloriam, & laudem quæredam ex operibus, ut primus ex Epist. 120. vel nō fidentum operibus proprijs, esse enim hoc superbiæ, ut secundus & tertius: Quod ipsi etiam nos volumus, ut ex antea allatis constat. Operibus in gratia, & ex fide factis nihil prorsus derogant.

Vndecima Conclusio: *Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum, & pax conscientie,* falsissima est, refutata & superius artic. 6. & in hoc præfenti sæpius.

Duodecima Conclusio sonans: *Quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, jam corda renovantur, & induunt novos affectus, ut parere bona opera possint:* admittitur, si fidem unà cum alijs operibus factis ab homine cum Dei gratia excitante, præveniente, & cooperante, faciat dispositionem ad gratiam Spiritus sancti, qua adjutus, & instructus homo, deinceps operetur benè, & meritoriè. Neq; ab hoc sensu quicquam diversum habent loca citata hic à Pappo: ostendunt enim nō aliud, nisi vel bona opera filios sive Effectus esse Spiritus sancti, & gratiæ ejus in homine justificato: ut primus; vel sequi opera bona justificatum, non præcedere, ut secundus: vel nō esse bona verè sine fide, ut tertius: vel fidem operum bonorum esse fundamentum, ut quartus: vel præcedere eadem, ut quintus. Quæ omnia docentur, & creduntur à nobis firmissimè, adeò ut anathema dicamus omni dicenti, opus quod-

in cunq;

cunq; nisi ex fide in Christum, & gratia Dei procedat, esse meritorium: sicut etiam semper docuimus palàm, & professi publicè sumus, omnia opera etiam justificarum esse meritoria, nō nisi ex merito Christi, illum enim esse, qui operibus eorum, qui gratiæ ejus participes facti, benè operantur, hanc tribuat vim, virtutem & dignitatem, ut acceptet ea Pater cœlestis, nō tanquam ab inimicis, sed amicis, & filiis suis facta.

Decima tertia Conclusio; quæ habet: *Humanæ vires sine Spiritu sancto plene sunt impijs affectibus, & sunt imbecilliores, quàm ut bona opera possint efficere coràm Deo*: verissima est, & Augustino consentanea.

Decima quarta Conclusio, cum sequentibus, vera est; si sensus earum sit, vel, nō posse hominem sine Spiritus sancti gratia, semper per omnem suam vitam benè operari, & sine omni peccato esse: vel, nō posse eundem operari sine ea, benè & meritorie, pro ullo tempore: sin velint, hominem talem quidem non posse ad modicum sine peccato esse, & nè civiliter, quidē sive moraliter benè operari, apertissimè contra Augustinum sunt.

*Augustinus de Spiritu & Litera cap. 27. Tom. 3.
colum. 828. D.*

Quædam tamen facta (loquitur de operibus gentilium) vel legimus, vel novimus, vel aadimus, quæ secundum justitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam merito rectèque laudamus, &c.

Idem eodem Lib. cap. 28. colum. 829. C.

Sicut enim non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil profunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.

Idem Lib. 4. cont. Donatist. cap. 21. D.

Sicut ergò non debemus improbare justitiam hominis, quæ prius esse cœpit, quàm conjungeretur Ecclesiæ, sicut esse cœperat justitia Cornelij, priusquam ipse esset in plebe Christiana, quæ
neq;

neq; si improbaretur, dixisset ei Angelus: Acceptæ sunt Eleemofynæ tuæ, & exauditæ sunt orationes tuæ: neq; si sufficeret ad capeffendum regnum cœlorū, ut ad Petrū mitteret, moneretur.

Idem Epist. 5. ad Marcellinum, Tom. 2. colum. 25. D.

Quam (Rempublicam) primi Romani constituerunt auxeruntq; virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum, verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri religione perducere, custodientes tamen quandam sui generis probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ, augendæ, conservandæq; sufficere. Deus enim sic ostendit, in opulentissimo, & præclaro Imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine religione virtutes, &c. Quòd si igitur illa aliquando bona negat, intelligi debet de bonitate perfecta, meritoria, & quæ ad finis ultimi, id est, æternæ beatitudinis consecutionem conducatur; vel certè, uti F. Torrensis in sua Confessione Augustiniana lib. 2. cap. 3. de gratia & liber. arbit. propositione. II. rectissimè monet & probat, ex ipso Augustino, vult mala illa esse, in quatum ex infidelitatis prava quadam contagione, non in Dei, sed in laudem propriam diriguntur.

Neque contra hæc quicquam evincūt omnes pro Conclusionibus istis à Pappo allati loci. Primus enim pro decima quarta probat, Diabolum in filijs diffidentia operari mala opera, in primis diffidentiam. Secundus pro eadem, Christum ob id venisse, ut redimeret illos, qui prius cõstituti erant sub potestate Diaboli. Tertius, hominem per vulnus inflictum generi humano, cogi esse sub Diabolo, intellige quamdiu nō renascitur. Primus pro: 15. Philosophos nō fulsisse virtute, intellige vera, Christiana, utili ad vitam æternam. Secundus, Impios pravis affectibus valdè obnoxios esse, & quati illis. Primus pro: 16. Christum cohibuisse potestatem fortis, ut illo nō impediante, credant in ipsum libera voluntate homines. Secundus pro eadem, sine fide, quæ videntur opera bona, verti in peccata, si scilicet ex infidelitatis contagione, nō in Dei, sed propriam laudem dirigantur. Idem de tertio. Quæ omnia nihil cōtra nos; neq; enim probant, destitutum Spiritūs sancti gratia, necessariò semper in omni sua vita peccare,

care, vel nunquam benè operari civiliter & moraliter posse, sed tantùm nō posse fieri, quin quādoq; peccet talis, vel ut benè operetur meritoriè. Tantùm observetur obiter hīc in secundo testimonio ad 16. Conclusionem huius articul. expressè Augustinum scribere: Fidem sine operibus neminem salvare.



ARTICVLVS XXI.

DE CVLTV SANCTORVM.

Conclusio prima Pappi: *Memoria Sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, & bona opera, iuxta uocationem; admittitur.*

Secunda Conclusio, cuius tenor: *Scriptura non docet invocare Sanctos, seu petere auxilium à Sanctis: expressissimè D. Augustino aduersatur.*

August. Lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. Tom. 5. colum. 1350. D. cum recensisset miracula facta ad reliquias Sancti Stephani, subjungit.

De tota ipsa causa aliquantò diligentius cœperam disputare, cum ecce me disputante, voces aliæ de memoria Martyris novæ gratulationis audiuntur; Conversi sunt eò, qui me audiebāt, cœperuntq; cōcurrere: illa enim (Palladia) ubi de gradibus descendit, in quibus steterat, ad Sanctum Martyrem orare petreerat, quæ mox ut cancellos attigit, collapsa similiter velut ad somnum sana surrexit, &c.

Idem Lib. meditationum cap. 40. Tom. 9. col. 733. A.

Exaudi me Trinitas Sancta, & cōserva me ab omni malo, ab omni scādalo, &c. per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per cōstātiā Martyrum, per fidem Cōfessorum, per castitatem Virginum, & per intercessionem omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt, &c. Et inferius colum. eadem D. Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini nostri Iesu Christi, intervenire pro me digneris

gneris apud illum, cuius meruisti effici templū; Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphaël, sancti chori Angelorum atque Archangelorum, Patriarcharum atq; Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumq; iustorum, per illum qui nos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis; Vos rogare præsumo, ut pro me culpabili ipsi Deo supplicare dignemini, quatenus de faucibus Diaboli, & de morte perpetua merear liberari.

Idem Serm. 18. de Sanctis, Tom. 10. col. 1203. C.

Admitte (alloquitur autem B. Mariam Virginem) nostras preces, intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis, &c. Et mox; Sancta Maria, succurre miseris, iuva pusillanimes, resove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto scæmineo sexu. Ibidem; sint tibi studia assiduè orare pro populo Dei.

Idem Serm. 1. de SS. Petro & Paulo, Tom. 10. colum. 1221. A.

Nam beatissimum Petrum piscatorem modò genibus provolutis adorat gentium multitudo credentium.

Idem Tract. 84. In Ioan. Tom. 9. colum. 451. D.

Ideò quippè ad mensam non sic eos (Martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed etiam magis ut orent ipsi pro nobis.

Idem Serm. 17. de verbis Apostoli, Tom. 10. col. 343. D.

Injuria est enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.

Idem Serm. 244. de Tempore, Tom. 10. col. 1131. D.

Et tunc pro nobis absq; ulla dubitatione Sancti Martyres intercedunt, quādo in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt.

Loca à Pappo pro confirmatione hujus Conclusionis adducta, prorsus inepta sunt. Cū enim probare deberent, August. in-

vocationem Sanctorum rejecisse, utpote quam scriptura nō doceat, probāt aliud nō, quā nullum mortuorum, vel aliud quod factum sit, & conditum à Deo, à Christianis Catholicis adorari, ut numen; sed quis Catholicorum unquam dixit, Sanctos invocandos adorandosue esse, ut numen? quomodo hæc ipsa probant, invocationē Sanctorum, nō doceri in Sacra scriptura: cum de illa nē in minimo quidem mentio fiat?

Secundus, ex 22. de Civit. Dei, cap. 10. tantū abest, ut obfit nobis, ut plurimum potius proficit. Expressè enim habet, celebrari memorias Sanctorum, & in sacrificio, quod est corpus Christi, suo loco & ordine nominari, non tamē ipsis erigi templa, vel sacrificari ut Dijs. Quod constanter semper docuimus & credidimus, ut vel ex ipso Concilio Trident. Sess. 22. cap. 3. liquere cuivis potest. Sed quomodo etiam hinc probat Pappus, rejici invocationem Sanctorū ab Augustino, tāquam nō doctam in sacra scriptura, cum nē hīc quidem de scriptura sacra verbum ullum habeatur? Quod autem dicit in eodem loco nō invocari Sanctos à Sacerdote, qui sacrificat, intelligi debet, de invocatione Dei, si ve Deo debita, & ut Deos; sicut & ibidem dicit, nō sacrificari, vel templa erigi ipsis ut Dijs. Et quidem quomodo invocentur & Deus & Sancti, aliter tamē & aliter, expressè docuit Augustinus in præcedentibus duobus capitibus, & exempla ponit plurima eorum, qui ad Sanctos orarūt, & exauditi sunt: & indicat ibidem, quomodo Sancti nos exaudiant. Atq; utinam omnes Adversarij tantū ista 3. capita cōtinua legerēt, procul dubio nisi impudentissimi sint, de Augustino, in hac præsertim cōtroversia, perpetuò tacerēt: Sicut etiam tria ista capita 22. lib. de Civit. Dei, scilicet 8. 9. & 10. pro testimonijs nostris primo loco ponimus.

*Idem Lib. 20. cont. Faustum, cap. 21. Tom. 6. col. 375. A. B.
cum objiceret Faustus, quod Christiani Idola converterent in Martyres, &c.*

Respondit, coli à Christianis Martyres, sed longè aliter quam Deum. Colimus, inquit, Martyres, eo cultu dilectionis & Societatis, quo & in hac vita colūtur Sancti homines Dei; quorum cor ad talem pro Euāgelica veritate passionem paratum esse sentimus,

timus, &c. Et post pauca subdit: At illo cultu, quæ Græcè latria dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè divinitati debita servitus, Nec colimus, nec colendum docemus nisi unum Deum.

Idem in Psalm. 96. Tom. 8. colum. 1088. A. Cum obijcerent Ethnici Christianis, quòd Angelos colerent;

Similiter respondit; utinam ipsos colere velletis, facile ab ipsis disceratis, nos illos colere, intellige, nō ut Deos, sed ut Sanctos. Et, quia existimare quis poterat, Invocationi sanctorum obstare, quod Angelus, de quo Apocalyp. 19. 22. Paulus item & Barnabas prohibuerunt se adorari, ideò huic objectioni occurrit, & quomodo adorari se prohibuerint in multis locis indicat: maximè Enarratione in modò citatum Psalm. 96. colum. 1087. D. Intendite (inquiens) ergò, quomodo homines boni prohibent eos, qui se voluerūt colere tanquam Deos, & volunt potius, ut Deus unus colatur, Deus unus adoretur, Deo uni sacrificium offeratur, non sibi, &c.

Idem Lib. 20. cont. Faust. cap. 21. Tom. 6. col. 375. C.

Ipsi enim Sancti vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt: apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cum commoti miraculis, quæ per eos facta sunt, Licaonij tanquam Dijs immolari voluerūt: conscissis enim vestimentis suis, confitētes & persuadentes, se Deos nō esse, ista sibi fieri vetuerūt. Apparuit & in Angelis, sicut in Apocalypsi legimus, Angelum se adorari prohibentem, ac dicentem adoratori suo; Cōservus tuus sum & fratrum tuorum. Significās apertè, Sanctos istos prohibuisse, nō adorationem omnem, sed illam tantum, quæ soli Deo debetur, & quam superbè arrogant sibi mali Angeli.

Tertia Conclusio Pappi est: *Scriptura unum Christum nobis proponit mediatorem, propitiatorem, pontificem, & intercessorem.* In primis nō dicā hīc, sicut neq; alibi, de Cōclusionis in se falsitate; sed ejus tātum cum Augustino dissensione & pugnātia. Præter Christum enim D. Augustinum etiam Sanctos suo modo agnovisse mediatores, clarum est ex sequentibus locis.

Augusti-

Augustinus in Psalm. 85. Tom. 8. colum. 953. B.

Dominus enim noster Iesus Christus adhuc interpellat pro nobis, omnes Martyres, qui cum illo sunt, interpellant pro nobis, non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transferit gemitus noster, &c.

Idem Tract. 1. in Epist. Ioan. Tom. 9. colum. 581. C.

Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum Iustum. Sed dicet aliquis: ergo sancti non petunt pro nobis; Ergo Episcopi vel Præpositi non petunt pro populo. Sed attendite scripturas, & videte, quia & præpositi commendant se populo. Nam Apostolus dicit plebi: orâtes simul & pro nobis; orat Apostolus pro plebe; orat plebs pro Apostolo; oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis. Invicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet, &c. Quo autem discrimine à Sanctis Christus mediator sit, optimè idem Augustinus explicat lib. 2. cont. Epistol. Parmeniani cap. 8. Tom. 7. colum. 32. B. C. Homines enim (inquiens) omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis, pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque mediator est, &c. significans esse mediatorem & Christum, & Sanctos. Christum tamen, quia pro omnibus interpellat, pro ipso autem nullus, eatenus ipsum solum verum mediatorem esse. Ex quo tamè nulla ratione sequitur, non etiam Sanctos suo quodam modo, & ratione certa mediatores esse posse, prout rectè hoc etiam F. Torrens in Confessione sua Augustiniana observavit, & annotavit lib. 1. cap. 4. de Christo vero Deo, & homine, propositione 9.

Loca Pappi quatuor adducta etiam hic incovenientissima sunt. Primus enim ex lib. de cura pro mortuis agenda cap. 13. in primis de uno mediatore, vel pluribus, nihil prorsus habet, sed tantum videtur dicere ibi Augustinus: animas mortuorum non interesse rebus viventium, idque exemplo matris suæ probare velle, &c. At neque hoc absolute & simpliciter statuit ibi. Ipsum enim sensitse, mortuos persæpè rebus viventium interesse, illorum preces intelligere, aliorumque nonnullorum, quæ agunt hinc, notitiam & cognitionem aliquam habere, liquet ex isto eodem libro, in cuius
cap.

AVGVSTINIA. ET AVGVSTĀ. 73


cap. 16. est, Sanctum Felicem apparuisse Nolensibus; ut mirum sit, Pappum isto libro uti potuisse, cum sit plenus & invocationibus sanctorum, & auxilijs, quæ sancti mortui viventibus præstāt. Hoc igitur loci aliud nō vult, quàm nō interesse mortuos rebus viventium, & cum illis conversari eo modo, quo, cum hîc viverent, cum ipsis cōversati sunt. Item nō cognoscere res illorum naturaliter. Hancq; expositionem his verbis adhibendam omnino, ut dixi, ejusdem libri cap. 15. & 16. ubi hæc omnia Sanctis tribuit, evincunt.

Quarta Conclusio: *unus Christus invocandus est, &c.* si velit, solum Christum ut Deum esse invocandum, sicut cōstat ex dictis, cōceditur: Sin velit, solum Christum invocandum ita, ut Sancti nullo modo neq; ut intercessores quidem invocari possint, rejicitur ceu cōtraria Augustino & veritati, sicut palam est ex modo allatis. Nihil efficiūt contra hæc duo loca adducta à Pappo. Vel enim volunt, neminē debere haberi à nobis advocatū eo modo, quo Christus est; sic uterq; locus: vel etiā neminē sibi ipsi debere advocādī munus vendicare, sic in specie secūdus: primum enim Antichristi, secūdum superbiorum esse. Sed quis reclamat? Confirmat hanc expositionem, quod in primo loco apertè scribit, & subdit, solum Christum esse mediatorem, qui alio nō indigeat, sive pro quo nullus interpellet, sed ipse pro omnibus; Ideoque hunc unum verum mediatorem esse: reliquos ita se invicem orationibus commendare, ut in omnibus orationibus suis deo mediatore securi sint. Accedit quod propositum Augustino fuit, ostendere in loco isto, etiam malorum præpositorum preces valere aliquid coram Deo, non quidem dignitate, quæ sit vel in ipsis, vel ipsorum precibus, sed in Christo vero mediatore omnium.

Eant nunc Lutherani, & quod scripserūt in Apologia, dicant, ante Gregorium Magnum nullum scriptorem fecisse mētionem invocationis sanctorum.

Vnde verò apud ipsos tam altum est silentium, de Sanctorum reliquijs, quas reliquis locis tanto studio insequuntur? an Pappo etiam ista in re Augustinum placet facere Lutheranum? periclitetur si vult.

N A R T I.



ARTICVLI, IN QVIBVS
RECENSENTVR ABVSVS
MVTATI.



VA'M benè *Articulos sequentes inter abusus secundum D. Augustinum referant, ex sequentibus manifestum erit. Verùm sic hominibus istis agere libet, ut quicquid ab ipsorum novitatibus abhorret, abusibus adscribi debeat.*



ABVSVS I.
DE VTRAQVE SPECIE.



PRIMA Conclusio Pappi: Laicis datur utraq; species, &c. Si per testimonia subjuncta probare cupiat, tempore D Augustini, Communionem sub utraq; specie in usu publico fuisse, neminem adversarium ex Catholicis habebit. Si verò præter hoc intēdat, Communionem sub una specie esse rejectam, & condemnatam, tanquam cōtrariam institutioni, & præcepto Christi (sicuti omninò debet, si Augustinum Lutheranum hic probare velit.) confutatur nō tantum per hoc, quòd loca citata probant nihil, nisi Communionem corporis & sanguinis Domini frequētatam esse; quæ etiam sub una specie & quæ fit, atq; sub utraq; : sed & ex eo, quòd Augustinus, Christum administrasse sacramētum duobus discipulis euntibus in Emaus sub una specie, expressè scribit lib. 3. de Cōsensu Evangelistarum cap. 25. Tom. 4. colum. 514. A.B. Verba illius sunt: Non enim aliter quàm erat, sed sicut erat, apparuit eis, quorum oculi tenebantur,

tur, nè agnoscerent eum; nō autem incongruēter accipimus hoc impedimētum in oculis eorum à Satana factum fuisse, nè agnosceretur IESVS, sed tamē à Christo est facta permissio usq; ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimētū inimici, ut Christus possit agnosci, &c. Quod facturum Christum nulla ratione credi potest, si speciem utramque tanquam necessariam semper, & ubique præcepisset: primus alioquin ipse institutionis suæ, & præcepti violator, & transgressor futurus.

Idem Epistol. 86. Tom. 2. col. 391. A. Communionis sacrae sub nomine fractionis panis meminit his verbis.

Aut ergò post peractum diem Sabbati noctis initio fuerant congregati, quæ utiq; nox jam ad diem Dominicum, hoc est, ad unam Sabbati pertinebat: & ita eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in Sacramento corporis Christi, produxit sermonem usq; ad medium noctis, ut post sacramenta celebrata, rursus usq; ad diluculum alloquēs cōgregatos, quoniam multum festinabat lucescente proficisceretur Dominico die.

Idem Serm. 140. de Temp. Tom. 10. colum. 906. A.

Eia fratres, ubi voluit Dominus agnosci? In fractione panis, securi sumus, panem frāgimus, & Dominum agnoscimus. noluit agnosci, nisi ibi propter nos, qui nō eum visuri eramus in carne, & tamen manducaturi ejus carnem.

Secunda Conclusio Pappi: *Quare si qui maluerunt utraq; specie Sacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offensione conscientie.* Quia nō probatur, nisi ex præcedenti, peculiari refutatione opus nō habet, nihil enim inde sequitur. Interim tamen manet verissimum; Ecclesias omnes Christi, omnibus ætatibus unam semper speciem domi privatæ porrexisse: sapè etiam solam speciem panis ex templo ablatam in usum futurum retinuisse.

Tertia Conclusio: *Et quia divisio Sacramenti non convenit cum institutione Christi, solet apud nos omitti processio, quæ hætenus fieri solita est.* Pro confirmatione hujus ex Augustino nihil affert Pappus.

pus. Canon, quem pro eadem citat, est de sacerdotibus sacrificantibus, quibus speciem unam sine altera, vel cōsecrare, vel offerre nunquam licet: idq; ut sit perfecta & integra sacrificij Christi, & Passionis ejus repræsentatio. Quòd si verò nō conficiunt, vel sacrificant, eadem de ipsis, quæ de alijs, ratio est. Si tamē etiam de fumentibus intelligendus sit Canon, certum est ex historijs factū esse propter Manichæos, & statim rursus desisse præceptum, cum Manichæi nulli amplius essent. Sed faciamus, & esse testimonium Augustini, & valere ad illū sensum, quem Lutherani putāt, quid verò illud ad processionē, & quid ad Theism? At quomodo secundum D. August. rectè adoretur Christus in Eucharistia, videat Lector sūperius artic. 10. de cœna Domini.



A B V S V S II.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

Rima Conclusio, quæ habet; *Licet Sacerdotibus matrimonium contrahere*: apertissimè falsa est, & contra D. Augustinum, ut & Pappus ipse fatetur in correctione testimonij adducti pro illa: qui & ob hoc, quæ sententia verior sit, ex argumentis adjunctis in utroq; loco judicandum existimat. At quàm longè à Pappi sententia absuerit Augustinus, intelliget Lector ex sequentibus.

Augustinus lib. questionum ex utroq; testamenta mixtum, quest. 127. Tom. 4. col. 879. A.

Sed fortè dicatur, si licet & bonum est nubere; cur Sacerdotibus nō licet uxores habere, id est, ut Ordinatis jam nō liceat convenire? Quis nesciat unumquodque suam legem habere? est enim quod omninò generaliter omnibus nō liceat; est item quod alijs licet, & alijs nō licet; & est quod aliquādo licet, & aliquando nō licet, &c. Et paulò inferius: Nunquid omne, quod ante cæteros licet, antè Imperatorem licet? Quantò magis in Dei causis, ac per hoc Antistitem ejus puriorē esse cæteris oportet? Ipsius enim perso-

personam habere videtur: est enim vicarius ejus, ut quod cæteris licet, illi nō liceat, quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere, &c. Et post: Nemo enim Imperatori ministrat, nisi vestimētis claris & mūdis indutus: Deus autem, quia natura clarissimus est, ministros ejus natura magis, quàm vestibus mundos esse oportet.

*Idem Sermon. 19. de verbis Domini, Tom. 10.
column. 90. A.*

Videmur, inquam, (loquitur autē de clericis) nō militare remissis ac fluentibus tunicis, sed habemus militiæ nostræ cingulū, quo castimoniæ interiora cōstringimus, de quo cingulo Dominus ait ad Discipulos suos; Sint lumbi vestri præcincti.

*Idem de seipso Lib. 1. Soliloquiorum cap. 10. Tom. 1.
column. 520. C.*

Quid uxor? nōne te delectat interdum pulcra, pudica, morigerā, literata, &c. Quantum velis licet eam pingere, atq; cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum, quàm cōcubitum esse decrevi; nihil esse sentio, quod magis ex arce dejiciat animū virilem, quàm blandimēta fœminea, corporumq; ille cōtactus, sine quo uxor haberi nō potest. Et post pauca: Quamobrem satis (ut credo) justè, atq; utiliter pro libertate animæ meæ mihi imperavi, nō cupere, nō quærere, nō ducere uxorem. De eodem Augustino Possidonius in ejus vita, cap. 26. Tom. 1. col. 876. c. refert; quomodo in cōvictu suo nullam fœminam, nè germanam quidem sororem pati voluerit, dixeritq; ne nunquam debere fœminas cum servis Dei, etiam castissimis in una manere domo, nè aliquod scandalum, vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus.

*Idem Lib. 2. de adulterinis conjugijs ad Pollentium cap.
20. Tom. 6. column. 868. C.*

Vndè istos, qui virilem excellentiam nō putant nisi peccandi licentiam, quando terremus, nè adulterinis conjugijs hærendo percant in æternum, solemus eis proponere etiam continētiam clericorū

clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt.

Sub ejusdem viri Sancti persona & nomine in concilio Carthagenensi. 2. cap. 2. quæ sequuntur referuntur.

Aurelius Episcopus dixit, cum præterito Concilio de continentia, & castitatis moderamine tractaretur: Gradus isti tres conscriptione quadam castitatis, per cōsecrationes annexi sunt: Episcopos, inquam, presbyteros, & Diaconos ita placuit, ut concederet sacros Antistites, & Dei Sacerdotes, necnō & Leuitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, cōtinentes esse in omnibus, quò possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerūt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus: ab universis Episcopis dictum est, Omnibus placet, &c.

Locus adductus pro illa, nihil juvat Pappum; ostēdit enim nihil nisi Matrimonium bonum esse, neque eum, qui in matrimonio est, vel fuit, à Sacerdotio impediendum, secundum doctrinam Apostoli: quorum neutrum nos negare re ipsa & factō testamur. Sed quomodo probabit hinc Pappus, protinus etiam Sacerdoti jam factō, si uxorem nōdum habeat, secundum D. August. uxore ducere licere? vel si habuit antea, etiam postquam Sacerdos factus est, Matrimonij actibus operam licite dare posse? Siquidem ex paulò antea citatis locis contrarium constet & verissimum sit. Augustinum verò secum non pugnare, sed Pappum deceptum esse, indè patet, quòd ipse Sanctus Pater, quomodo in posterioribus intelligi velit, explicet, & habere uxorem Sacerdoti permittat, rursus nō permittat; nimirū, nè cum illa ordinatus jam conveniat: hæc enim verba sunt Augustini. Miror tamen, cum Pappus locum istum ex libro spurio citari dicat, quare non vel intermiserit, vel alium ex vero libro ascripserit. Sed in promptu causa est, Non potuit, ut nos supra probavimus, contrarium.

Secunda Conclusio: *Non omnes homines ad calibatum idonei sunt: sola sine omni probatione ponitur.*

Tertia Conclusio; *Qui nō sunt idonei ad calibatum, debent contrahere*

trahere matrimonium: si de nō obstrictis voto agat, vera est, secundum D. Augustinum, & Catholicos omnes qui contrahendi potestatem huiusmodi faciunt: Sin de obstrictis voto, falsissima est, & contra Augustinum.

August. Lib. 1. de adulterinis Conjugijs cap. 24. Tom. 6. colum. 853. A.

Quod enim cuiquam, antequam vovisset, licebat, cum id se nunquam facturum voverit, non licebit; si tamē id voverit, quod vovendum fuit, sicut est perpetua Virginitas, vel cōtinentia, &c.

Idem in Psalm. 75. Tom. 8. colum. 836. C.

Nescio quæ castimonialis nubere voluit; quid voluit? quod & virgo quælibet. quid voluit? quod & mater ipsius: aliquid mali voluit? mali planè: quare? quia iam voverat Domino Deo suo. Ibidem: Quid autem ait de quibusdam, quæ voverunt, & nō reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est, primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt.

Idem in Psalm. 83. Tom. 8. colum. 916. A.

Alius ex munere Dei maius aliquid vovit, statuit nec nuptias pati, qui nō damnaretur, si duxisset uxorem; post votū, quod Deo promisit, si duxerit, damnabitur; cum hoc faciat, quod ille, qui nō promiserat: tamen ille non damnatur, iste damnatur.

Locus subjunctus Conclusioni nihil incommodat nobis; est enim de non obstrictis voto, ut est in ipso contextu, ubi Augustinus jubet alterutrum eligere, vel cōtinentiam, vel nuptias: sed nō postquam alterum elegit, rursus deserere.

Quarta Conclusio Pappi: *Mandatum Dei, & ordinationem Dei nulla lex humana, nullum votum tollere potest*: vera est, si ordinationem Dei intelligat eam, quæ mandatum annexum habet: Sin de ea sit, quam liberam, & in arbitrio cuiusque Deus reliquit, cuiusmodi est ordinatio de Matrimonio, potest contra eam, qui vult, se ad majus, & perfectius quiddam astringere, & obligare voto; ut post suo loco patebit.


Quòd

Quòd si verò hæc eadem Conclusio votum castitatis & continentiae referat intervota, quæ pugnant cum mandato Dei, vel ordinatione ejus, quæ præceptum habeat annexum, patebit ejus secundùm D. Augustinum falsitas, ex ijs, quæ afferentur inferius circa abusum de Monachorum votis.

Locus subjunctus huic Conclusioni ex lib. de bono viduitatis, in primis Pappo non est gnivus: secundò si maximè gnivus sit, si uspiam alibi apparet Pappi vel cador, vel fraus, hîc maximè. Post votum enim nubentes negat ibi esse adulteras, nò quòd nuptias talium licitas esse velit, sed quòd velit illas esse pejores adulterijs; hæc enim illius verba sunt. Tom. 4. colum. 1024. C. D; Quapropter non possum quidem dicere, à proposito meliore lapsas, si nupserint, scæminas, adulteria esse, non conjugia, sed planè nò dubitaverim dicere; lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulterijs esse pejores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionè Christi pertinet, cum membrum ejus fidem non servat marito: quantò gravius offenditur, cum illi ipsi non servatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Accedit, quòd totus iste liber, omnes post votum nubentes, passim expressissimè damnat, ut etiam eadem distinctio, ex qua Pappus citat. Id verò quid ad Conclusionem Pappi?

Quinta Conclusio: *Constat in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse maritos*: nihil ex Augustino ad probationem hujus affert, neque immeritò, quia contrarium ex paulò antea allatis locis, de D. Augustini temporibus, manifestum est. Canones hîc subjuncti, vel sunt de Sacerdotibus, qui erant mariti prius, quàm sacerdotes, ut glossa expressè tradit; quòd licitum esse, sicut & uxores retinere, earum curam habere, modò ab actibus conjugalibus abstineatur, paulò antea diximus; vel (quòd titulus distinctionis illius insinuat) sunt de filijs sacerdotum ex illicito coitu prognatis, qui ordinari possunt, modò paternæ incontinentiæ imitatores non fuerint. Neq; obstat, quòd Gratianus in Can. 2. hic citato à Pappo contradicere videtur responsioni ultimæ. Ilum enim errare glossa judicat per hoc, quòd si ex legitimo, & licito coitu prognati fuissent, dispensatione nulla ad susceptionem ordinum indignissent.

digniffent. Et antea monuimus, Gratianum non in omnibus teneri; si quidem omnia compilavit, quae occurrerunt, & non semper judicavit; & ipse se in hac re correxit, distinct. 31. ubi distinguit Ecclesiam Romanam a Graeca.



ABVSVS III.

DE MISSA.

Rima Conclusio Pappi; *In Missa Latinis Cantionibus admiscenda sunt Germanica, ad docendum populum: hoc responsi habeat: Cantiones vulgares in templis admisceri posse, non negari, & nos ipsos facere. At admixtas illas in Missa nunquam fuisse, nisi vulgaris esset, vel Latina, vel Graeca, vel Hebraica, neminem unquam ostendere posse, & multo minus Pappum in locis, quae adducit. Praeterquam enim quod in nullo horum vel minima Missae fit mentio, etiam solius Latinae linguae meminerunt, cujus usum in Missa esse posse quantumvis vulgaris esset, ut & Graecae, & Hebraicae, nemo inficiatur. At Augustinum concedere idem de caeteris vulgaribus linguis, si Pappus probaverit, magnam rem fecerit. Iam vero non sequitur, Africi usi sunt in sacris Latina lingua ipsis nota: Ergo Germani uti debent in iisdem lingua Germanica: quod neque Augustinus vult, neque ulla ratio suadet. Sed si aliquando omnes Germani loquerentur Latine, uterentur eodem privilegio, quo Africani. Neque vulgares, quia vulgares, prohibita sunt; sed quia non sunt, sicuti caeterae tres, Latina, Graeca, & Hebraica, sacratae in ligno Sanctae Crucis.*

Secunda Conclusio; *Assu fit populus, ut una utantur sacramento si qui sunt idonei: Nihil pro se habet ex Augustino.*

Tertia Conclusio, quae habet: *Nulli admittuntur, nisi antea explorati: bene quidem hoc habet. At exploratio quam facere consueverunt, secundum D. Augustinum accuratior multo esse deberet, quam esse solet. Hi enim cum sint ut plurimum generali peccatorum Confessione, & sola fide sua contenti, Augustinus quomodo plus quiddam requirat, ex ijs, quae supra circa artic. 12. prohibentur.*

O

tribus

tribus pœnitentiæ partibus adduximus, liquere potest, & latius adhuc ex sequentibus.

*Augustinus Serm. 46. de verbis Domini, Tom. 10.
colum. 176. C.*

Cogitantes ergò gradus vestros, servantes & professionem vestram, accedite ad carmen Domini, accedite ad sanguinem Domini; qui se scit aliter esse, non accedat, compungimini magis sermone meo.

Idem Serm. 1. de Temp. Tom. 10. colum. 564. A.

Mutet ergò vitam, qui vult accipere vitam: nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanetur; magis occiditur, quàm vivificetur: sic enim dixit Apostolus; Qui manducat corpus Domini, &c.

Idem Tract. 26. in Ioan. Tom. 9. colum. 227. D.

Videte ergò fratres panem cœlestem, spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate, &c.

*Idem Libro 50. Homiliarum, homil. 20. Tom. 10.
colum. 557. B.*

Atq; ita cõstituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis cõsciëntia, carnifex timor, indè quidem sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat; postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini, &c.

Loca adducta à Pappo, quædam necessariam docent explorationem, & præparationem ante Eucharistiæ sumptionem, quam quisque secum expediat: sed debere explorari à Sacerdote, nullo verbo attingit in istis locis; nõ quòd alibi id Augustinus non scribat, aut quòd fieri non debeat, sed quòd Pappus illa non ascripserit. Quædam verò, ut tertius, quartus & septimus, sic ad rem pertinent, sicut si probare voluisset, triangulum habere duos rectos.

Quarta Conclusio; *Admonentur etiam homines de dignitate,* &c.

usu Sacramenti, &c. Nihil incommodi, & contra nos habet, nisi quòd testimonium Augustini, de admonēdis hominibus, nè verbum quidem habeat.

Quinta Conclusio, quæ tradit; *Missas turpiter profanari, collatas ad quæstum*, ex Augustino licet appositum nihil habeat, tamen ceu Augustiniana cōceditur, verissimumq; est, omnium Catholicorum cōfessione justissimè damnari, qui re tam sancta ad quæstum turpem impiè abutuntur.

Sexta Cōclusio Pappi est; *Itaq; cum apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, desierunt apud nos privata Missæ: cum ferè nulla privata Missæ, nisi quæstus causa, fieret.* Huic subjūgit Pappus loca octo, quæ aliud nō habent, quàm Prædicatoribus necessaria vitæ deberi, iisdem tamen quæstui studendum minimè esse. Sed quomodo probat indè Pappus, secundum D. Aug. sententiam, propter abusus, quos nōnullorum induxit impietas, & avaritia, tollendum fuisse usum bonum Missarum privatarum: si ob hoc, quod quidam Missas celebrando lucrum potiùs, quàm gloriam Dei, & populi profectum spectarūt, Missæ tolli debuerunt, cur nō itidem tollitur munus prædicandi Euāgelij? Siquidem longè plures apud Lutheranos invenies, qui prædicatione Euāgelij ad quæstum turpiter abutūtur, quàm apud Catholicos Missæ sacrificio. Et certè loca omnia adducta à Pappo, de prædicatoribus Euāgelij sunt, non de Sacrificantiis, & sic ad rem profus non faciunt.

Septima Cōclusio Pappi; *Missæ non est instituta, ut in ea fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus, & venialibus:* Ex Augustino pro se nihil habet appositum à Pappo. Subjicit tamen ex eodem Doctore sancto nōnulla de sacrificio, & notat ipsum Sacrificij nomine valdè generaliter uti: varias etiam sub unâ hac appellatione res comprehēdere, maximè, quæ sequuntur. 1. *Passionem Domini & Servatoris nostri Iesu Christi.* 2. *Applicationem seu imputationem gratuitam meriti passionis.* 3. *Fidem, qua id ipsum meritum à credentibus apprehenditur.* 4. *Fructus fidei, scilicet Mortificationem carnis nostræ, misericordiam qua proximo subvenitur, preces, laudem Dei, & gratiarum actionem.* 5. *Sacramenta, quibus obsignatur & confirmatur fides in meritum Christi, Baptismum videlicet, & cænam Domini.* Vbi nihil carpendum, quoad propositum,

tum, nisi quòd ad propositum nò faciunt. Quæ enim cõtrà August. statuit, dum applicationem gratuitam meriti passionis cum imputatione ejus commiscet, & pro iisdem duo hæc habet; Mortificationem carnis, Effectum fidei, & nò potius gratiæ Dei, sicut & fidem ipsam, facit; sicut & hoc, quòd efficaciam Sacramentorum in hoc terminat & finit, quòd ijs obfignetur fides in meritum Christi, &c. suprà suis locis sat superq; examinavimus. Quin addimus, etiam hoc modo, & in hac significatione secundum D. Augustinum, & Catholicos omnes, Sacrificia dici posse, nò tantum ea, quæ hîc Pappus commemorat; sed & quodcunq; aliud opus bonum, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo: quorû multò plura, quàm Pappus numerat, numerari posse, nemo est qui inficias eat. Si autem dicere velit D. Augustinum præter hæc Sacrificia (vera quidem quoad hoc, quòd Deo sunt verè grata & placita; nò autem quoad sacrificij rationē veram & propriam) aliud verè & propriè sic dictum visibile & externum sacrificium nò agnovisse; aut certe negasse illud esse Corporis & Sanguinis Domini, verèq; propitiatorium pro vivis & defunctis; cõvincetur & ex ijs ipsis locis, quæ ipse assertit ad cœnam Domini, (quæ ad cœnam pertinet, non sub ratione Sacramenti, sed sacrificij) & ex sequentibus; & quidem tam clarè, ut nisi extremè impudens esse velit Pappus, hîc saltem cedere veritati, honorem debitum deferre Deo, & viro sancto debeat.

*Augustinus Lib. 10. de Civit. Dei, cap. 19. Tom. 5.
colum. 571. D.*

Qui autem putant, hæc visibilia sacrificia, Dijs alijs congruere, illi verò tanquam invisibili invisibilia, & majori majora, meliori que meliora, qualia sunt puræ mentis, & bonæ voluntatis officia: profectò nesciunt, hæc esse ita signa illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus, offerimus; Ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus, quàm illi, cuius in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus.

Idem

Idem Lib. 7. de Civit. Dei, cap. 27. Tom. 5. col. 415. D.

Quamobrem si templo, si sacerdote, si sacrificio, quod Deo, vero debetur, colatur aliquod elementum mundi, vel creatus aliquis spiritus; etiamsi nō immundus & malus, nō ideò est malū, quia illa mala sunt, quibus colitur, sed quia illa sunt talia, quibus, solus ille colendus sit, cui talis cultus servitusq; debetur.

Idem Epistol. 49. quest. 3. ad Deo gratias, Tom. 2. colum. 198. B. C. Hoc sanè, &c. Et passim in ista tota Epistola.

Idem Lib. 1. contra adversarium legis & prophetarum, cap. 18. Tom. 6. colum. 603. B. C. De sacrificio autem, &c.

Idem Serm. 11. de temp. Tom. 10. col. 1187. D.

Rectè sub altario justorum animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur.

Idem in Psalm. 33. Concione. 1. Tom. 8. colum. 229. A.

Erat autem, ut nostis, sacrificium Iudæorum antea secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, & hoc in mysterio, nō dum enim erat sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Evangelium legerunt, quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum.

Idem Lib. 20. cont. Faust. Manicheum, cap. 18. Tom. 6. colum. 373. B. C.

Hebræi autem in victimis pecorum, quas offerebāt Deo, multis & varijs modis, sicut re tāta dignum erat, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Vnde jam Christiani peracti ejus sacrificij, memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi.

Idem Epist. 23. ad Bonifacium, Tom. 2. col. 93. B.

Nōne semel immolatus est Christus in seipso; & tamen in Sacramēto, nō solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die

86 PARALLELA CONFESSIO.
die populis immolatur? nec utique mentitur, qui interrogatus,
eum responderit immolari, &c.

Idem Lib. 10. de Civit. Dei, cap. 20. Tom. 5. col. 573. B.

Per hoc & Sacerdos est (Christus) ipse offerēs, ipse & oblatio, cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium; quæ cum ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre. Hujus veri sacrificij multiplicia variaq; signa erāt sacrificia prisca Sanctorum, cū ob hoc unum per multa figuraretur, tanquā verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multū commendaretur. Huic summo veroq; sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt. Nè verò Pappus dicat, ut dicere solent Missoliturgi, viro Sancto Christi in Eucharistia oblationē idem esse cum manducatione, illa à se invicem Augustinus non semel, sed sæpè & frequenter distinguit, maximè lib. 2. Retractionum, cap. 11. Tom. 1. colum. 44. b. Inter hæc, inquires, Hilarius quidem vir Tribunitius Laicus Catholicus nescio undè adversus Dei ministros, ut fieri assolet, irritatus; morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut Hymni ad altare dicerentur, de Psalmorum libro, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledicā reprehensione ubicunq; poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere.

Item Lib. 1. de Anima, & ejus origine, cap. 11. Tom. 7. colum. 1148. D.

Salva fide Catholica, & Ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, ut pro nō baptizatis, cujuslibet ætatis hominibus, offeratur sacrificium Corporis & Sanguinis Christi. Sed hæc pauca hoc loci ex Augustino ad ostendendum, agnovisse ipsum externum, & visibile verè & propriè dictum sacrificium, illudq; aliud nō esse, quàm Corporis & sanguinis Christi Salvatoris, adduxisse sufficiat. Verè enim affirmari potest (sicut & Reverendus P. Belarminus Tom. 2. Disputationum suarum, lib. 2. de Missa, cap. 7. rectissimè hoc annotavit) nō esse Tomum in omnibus D. Augustini operibus, in quo hujus Sacrificij nō expressissimè meminerit. Quod & Lutherus scivisse videtur, qui ea de causa, cum Rex
Angliæ

Angliæ pro Sacrificio Missæ Patrum dicta induceret, in libro contra eundem publicè professus est, & edixit, se nihil curare, si mille Augustini, & mille Cypriani cōtra se stēt. Quòd autem idem vir, & Doctor sanctissimus, sacrificium hoc (quod tamen Pappus, dum negat offerri pro quotidianis delictis, simul etiã negat esse propitiatorium) verè propitiatorium esse, ad sensum, quem omnes Catholici faciunt, & sequuntur, nō pro vivis tantum, sed & defunctis, voluerit & senserit, sequētia breviter declarabunt loca. Neq; enim plura apponere visum est, siquidem obvia passim sūt in omnibus propemodum ejus Tomis; pluraque qui vult, apud Reverendum P. Torrensem in Cōfessione eius Augustiniana lib. 3. cap. 6. propos. 7. & 10. legere possit.

*Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 109.
& 10. Tom. 3. col. 190. D.*

Neq; negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel elemosynæ in Ecclesia fiunt; sed eis hæc profunt, qui cū viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Et inferius. B. Cum ergò sacrificia, sive altaris, sive quarumcunque Elemosynarum, pro Baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sūt: pro valdè malis, etsi nulla sūt adjuncta mortuorum, qualescunque vivorum cōsolationes sūt: quibus autem profunt, aut ad hoc profunt, ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio. Eadem habet lib. de octo Dulcitij quæstionib. quæst. 2. Tom. 4. col. 665. B. C. Neque negandum est, &c.

*Idem quæstion. 57. super Leviticum, Tom. 4.
column. 220. d.*

Quid sibi vult, quod à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificijs unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum, à cujus tamē sacrificij sanguine in alimētum sumendo nō solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.

Idem

*Idem Lib. 20. de Civitat. Dei cap. 25. Tomo 5.
column. 1249. c. d.*

Sacrificium dicit in Ecclesia pro peccatis offerendum usq; ad mundi finem. Verùm ista quæstio de purgatorijs pœnis ut diligentius pertractetur, &c.

*Idem Lib. 1. contra Cresconium, cap. 25. Tom. 7.
column. 215. b.*

Quid de ipso corpore & Sanguine Domini unico sacrificio pro salute nostra, &c.

Idem Lib. 9. Confess. cap. 12. Tom. 1. column. 159. b.

Nam neque in eis precibus, quas tibi sudimus, cum offerretur pro ea (loquitur de matre sua Monica) sacrificium pretij nostri, &c. Et cap. sequenti, column. 160 c. Namq; illa, imminente die resolutionis suæ, non cogitavit suum corpus sumptuosè contigi, &c. sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermisione servierat; unde sciret dispensari victimam sanctam, qua delictum est chirograph hū, quod erat contrarium nobis, &c.

*Idem Lib. 22. de Civitat. Dei, cap. 6. Tomo 5.
column. 134. b.*

Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & seruorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent: Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quātum potuit, ut cessaret illa vexatio; Deo proptinus miserante, cessavit.

Ad loca omnia adducta à Pappo, pro hac Conclusione patet ex dictis. Probant enim illa, quæ commemoravit, sacrificia dici à D. Augustino; quod haudquaquam negamus; modò Pappus fateatur unà, D. Augustinum præter sacrificia ista spiritualia agnovisse

viffe & credidiffe aliud quoddam visibile & externū verè & propriè sic dictum, corporis & sanguinis Domini sacrificium, quod nos dicimus sacrificium Missæ; aut ex toto Augustino recitet unum locum, in quo Augustinus neget, ut ipse negat, Missam esse propterea etiam institutam, ut in ea fieret oblatio: aut si non potest, fateatur errorem, & multitudine alienorum testimoniorum non gravet Lectorem.

Octava Conclusio Pappi; *Missæ non est opus tollens peccata vivorum & mortuorum ex opere operato.* Hujus falsitas secundum D. August. manifesta est ex modo adductis; nec, ut & antea monui, intelligunt Lutherani, quid sit Catholicis, Missam ex opere operato tollere peccatum. Quotiescunque enim Catholici dicunt vel Missam, vel Sacramenta vim suam habere ex opere operato, aliud non intendunt, quàm illa omnia valorem suum habere ex Christi meritis & institutione, neque in benè dispositis effectus horum per ministri indignitatem impediri. Quod quomodo cum August. sententia conveniat, constat ex allatis circa articul. de Ministris Sacramentorum. Testimonia Pappi duo subjuncta hîc, ostendunt tantùm, nihil prodesse ad vitam Sacramenta impijs & indignis, quâcumvis illa sumserint, & in Ecclesiæ communionem permâserint; quæ ad propositum nihil faciunt, quia nō sunt de Missa, sed de Sacramentis, & à nobis non negantur.



ABVSVS IV.

DE CONFESIONE.

Conclusionum quatuor primarum Pappi cum D. Augustino consensus satis constat ex allatis circa articul. de confessione: Et faciant ipsi, an non faciant, nos non laboramus. Sed quia libuit ipsi subicere quintam, in qua persuadere nobis conatur, Etiam alios scriptores veteres, in primis Chrysostrum, & Ambrosium testari, enumerationem peccatorum nō esse necessariam; etsi extra propositum nostrum sit, tamē etiam illud examinare libet. Et quidem D. Chrysostrum
 P senten-

sententiam de Confessione Sacramentali cognoscet rectissime
Lector ex sequentibus locis.

Chrysoſtomus Homil. 30. in Genef. Tom. 1. fol. 157. b.

Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus, Dei gratia, nunc maximè & jejuniij cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum confessio, &c.

Idem Homil. 33. in Ioan. Tom. 3. fol. 109. a.

Hanc & nos mulierem imitemur, & in peccatis, quæ commisimus confitendis, neminem vereamur, Deum duntaxat, ut decet, formidemus, qui & nunc opera videt, & tunc quos in præsentia non pœnitet damnabit. Et paulò inferius: Commisisti aliquod scelus, aut animo agitasti, homines celas, non Deum, & nihil curas, oculos hominum formidas: intellige igitur in illo die te nè homines quidem celaturum. Et iterum inferius ibidem. b. Vos autem hortor dilectissimi, ut etsi nemo opera nostra videat, ut singuli suam cōscientiam ingrediantur, & iudicem sibi rationem cōstituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda universo orbi manifestè patere.

Idem Lib. 2. de Sacerdotio, Tom. 5. fol. 311. b.

Quamobrem multa quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultrò sibi ipsi persuadeant, sacerdotum curationi sese submittere oportere. Et paulò inferius: Equidem complures recensere possem, quos constat in extrema mala adactos, non ob aliquid, nisi quòd digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temerè ad delictorum modum oportet & multam ipsam adhibere, sed tanquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, nè qua fiat; ut dum consuere vis, quod interruptum est, scissuram deteriorem facias.

Idem Homil. 20. in Genef. Tom. 1. fol. 93. b.

Iam qui hæc fecit (adulteria, fornicationes, &c.) si voluerit, ut
decet,

debet, uti conscientiae adjumento, & ad confessionem facinororum festinare, & medico ostendere ulcus, qui curet, & non exprobet, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum, abolitio etiam est delictorum.

Loca adducta à Pappo, sunt vel de Cōfessione publica, quam non necessariam esse rectè nobiscum Chrysostomus asserit: vel de Cōfessione Deo facienda. Sed quomodo indè cōcludet Pappus, propterea negare Chrysostomum Cōfessionem faciendam esse Sacerdoti? siquidem etiam nos Deo in primis, tum & Sacerdoti confitendum esse constāter semper docuerimus. Affert insuper etiam Pappus ex D. Ambrosio duo loca, quibus putat se aliquid posse contra Confessionem Sacramentalem, in qua fit peccatorum enumeratio, obrinere; at profus impertinenter & absurdè. Vterque enim nō aliud habet, quàm Deo Cōfessionem faciendam: sed quis negat? tantum dicat Pappus, qua cōsequentiæ vel illationis necessitate sequatur, ob id nō etiam posse, vel debere confessionem fieri Sacerdoti. Rectius ergò multò hujus sanctissimi viri, qui Augustinum nostrum, hæreticorum omnium malleum, & devictorem invictissimum, Deo & Ecclesiae magno cum fructu peperit, de Confessione sententiam ex locis sequentibus cognoscet.

*Ambrosius Lib. 2. de Pœnitentia, cap. 10. Tom. 1.
fol. 233. A.*

An quisquam ferat, ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem, & pudeat te Deo supplicare, quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini, quem lateas confiteri?

*Idem in exhortatione ad agendam pœnitentiam eodem
Tom. 1. fol. 236. c.*

Non solum post pœnitentiam ab istis (ebriositate, concupiscentia, furto, malo eloquio, immoderato risu, verbo ocioso) intus homo observare se debet, sed & ante pœnitentiã, dum sanus

92 PARALLELA CONFESSIO.
est; quia nescit, si possit ipsam pœnitentiam accipere, & confiteri Deo, & Sacerdoti peccata sua.

Idem Lib. 2. de pœnit. cap. 6. Tom. 3. fol. 227. a.

Memor esto, ut scias donatum esse peccatum, nè glorieris quasi innocens, nè te justificando plus ingraveris; sed si vis justificari, facere delictum tuum, soluit enim criminū nexus verecūda peccatorum confessio.

Idem Serm. 10. in Psalm. 118. Tom. 4. fol. 491. c.

Didicisti cor esse mundandum, disce quemadmodum mundes; mundat hunc fontem justificatio legitima, hoc est, Confessio peccatorum.

Denique ipsum etiam virum sanctum Confessionibus audiendis occupari solitum fuisse, testis est Paulinus in vita eius, quæ Tom. 1. operum ejus præfixa invenitur, his verbis: Quotiescunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret, videbatur etiam sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.

Subjungit his Pappus, pro confirmandâ conclusione sua testimonium Gratiani distinct. 1. de pœnit. &c. Vbi novus candor Pappi animadverti meritò ab omnibus debet: in utroque enim loco Gratianus non negat, Confessionem peccatorum secretorum Sacerdoti fieri debere, imò expressissimè asseruit, tanquam necessariam; tantum dicit, dubium esse, an secretorum peccatorum cōfessio coram Sacerdote publicè fieri debeat, ita ut confitentis peccata occulta in aliorum etiam, quam sacerdotis notitiam venire debeant, an verò minus. Et quia quidam hoc affirmabant, quidam negabāt, in medio se relinquere hoc dicit: probabilius tamen nō teneri, idq; nè à Confessione per hoc homines deterreantur: vel, ut ex glossâ colligere licet, secretam tunc necessariam negat, si ejus faciendæ desit facultas & commoditas; sin, omninò necessariam esse vult, multis allatis ad probandum hoc autoritatibus, maximè D. D. Leonis, Augustini & Ambrosij.

Brosij. Præterea, quod iterum hîc monere visum est, meminisse debebat Pappus, decreta Gratiani nō per omnia apud Ecclesiam authoritatē meruisse, sicut & glossa, quæ mox subjungitur à Pappo in Cōclusionione sexta, nō tenetur, pro ut Pappus legere potuisset, si voluisset, in Epistola Gregorij XIII. præfixa decreto Gratiani, novissimè ejusdem Gregorij jussu emendato. Quartò producit testimonium Erasmi, &c. quod majoris momēti apud nos nō est, quam ipsius Pappi, idq; quamdiu destituitur sua vel ratione, vel authoritate graviore, quam istorum est.

Septima Conclusio Pappi: *Verum Confessio cum propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum utilitates apud nos retinetur, &c.* Nihil incommodi habet, nisi circa eam monere libeat, pueriliter admodum, ut Confessionis, ita & absolutionis negotium tractari ab istis.



A B V S V S V.

DE DISCRIMINE CIBORVM.

Rticulum hunc totum jure optimo præterire possem, siquidem nihil penè in se complectatur, quam meras in Catholicos calumnias: Et, sit venia verbo, putida magna ex parte mendacia. Si quid tamē est, quod revera Catholici contra Confessionistas docent hîc & tenent, sicut est Conclusio prima, quomodo Augustini sententiæ per omnia consentaneum sit, ex dictis circa artic. 15. liquere omnibus potest. Neque quicquam Pappum juvabit, quod quæ hîc falso affingit Catholicis, cujusmodi sunt omnia illa, quæ continētur in Conclusionibus 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. ex Gersono probat. Præterquam enim quod Gerson in omnibus istis abusibus, & corruptelas quorundam privatorum nō Ecclesiæ doctrinam infectatur, & reprehendit, meminisse etiam Pappus debebat, Catholicos non in unius, qui cum ipsis est, quicumque is fuerit, sed in totius Ecclesiæ Catholicæ, & ejus Doctorum unanimem cōsentire & cōspirare doctrinam. Ideo q; si Pappus cum suis aliquid hîc cōtra nos

P 3.

obtime-

obtinere vellet, ostendisse debebat, hæc quæ falsò affingit nobis, ab Ecclesia tota, & Doctoribus ejus omnibus unanimiter docta & credita esse, vel doceri & credi etiam adhuc; vel si non potuit, sicut certè nõ poterit unquam, à calumnijs istis, & mendacijs abstinuisse, & temperasse sibi. Accedit, quòd Gerfon, vir quantumvis bonus aliàs & doctus, ab omnibus Catholicis semper tanquam iniquior, & minus, quàm debebat, Ecclesiasticis constitutionibus favens habitus, & notatus est. Quòd si verò tam rudis & peregrinus Pappus est in Catholicorum cognoscendis dogmatibus (quæ tamè tam acerbè aliàs cum suis insectari solet,) enconfulam ipsius & suorum infirmitati, & dogma Catholicorum, de delectu ciborum, & traditionibus similibus, quàm possum breviter, perspicuè tamè, & quantum ad propositum sufficit, Conclusionum paucarum complexu ob oculos ponam, illudque ex Augustino ad unamquamque Cõclusionem uno vel altero obiter allato testimonio clarissimè confirmabo, ut si porrò à nobis Pappus dissentiat, quàm malus Augustinianus etiam hîc sit, apertissimè videat.

DE DELECTU CIBORVM, ET
Jejunio Catholicorum.

Conclusio I. Catholicorum.

Delectus ciborum & jejunia utiliter observantur à Christi fidelibus,

*Augustinus libro de hæresibus ad Quodvult Deum,
hæres. 82. Tom. 6. col. 30. c.*

Hic (Iovinianus) omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem, lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse jejunia, vel à cibus aliquibus abstinentiam. Item eodem lib. hæres. 53. col. 25. b.

Idem Lib. 30. cont. Faust. cap. 5. Tom. 6. col. 474. b.

Christiani, nõ hæretici, sed Catholici edomandi corporis causa propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam,

dam; non quod illa esse immunda credant, non solum à carnibus, verum à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent; vel semper, sicut paucis; vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes, quanto magis quisque, vel minus seu voluerit, seu potuerit.

*Idem Lib. 2. de morib. Manich. cap. 14. Tom. 1.
column. 790. d.*

Apparet igitur, quo fine à carnibus, & à vino sit abstinentum; is finis est triplex: ad comprimendam delectationem, quæ in his maximè cibus haberi solet, atque in tali potu usque ad ebriositatem pervenire; ad tuendam infirmitatem, propter illa, quæ sacrificantur, atque libantur; & quod maximè commendandum est, propter charitatem, nè imbecilliorum ab his offendatur infirmitas. Idem in hoc eodem & præcedenti lib. qui est de moribus Ecclesiæ frequenter.

Conclusio II. Catholicorum.

Delectus ciborum & jejunia observata ab ijs, qui in peccatis sunt, modò resipiscendi & appropinquandi Deo animum habeant, cæteraque requisita adsint; utilia sunt per modum dispositionis, non meriti, ad accipiendam peccati veniam, & justificationis gratiam.

*Augustinus Lib. 2. quest. Euangel. cap. 18. Tom.
column. 342. c.*

Iejunium aut in tribulatione est, aut in gaudio; In tribulatione, ad propitiandum Deum pro peccatis: in gaudio verò, cum tantò minus delectant carnalia, quanto Spiritualium major sagina, &c.

*Idem Lib. 1. cont. Iulianum Pelagianum, cap. 2. Tom. 7.
column. 946. b.*

Aegrotavimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam; pœnitentia verò sine jejunio vacua est. Et paulò post: Quia non jejunavimus

96 PARALLELA CONFESSIO.
navimus inquit (Basilii) decidimus de Paradiso: jejunemus ergo, ut ad eum redeamus.

Idem Serm. 60. de Temp. Tom. 10. colum. 313. d.

Et in hoc sensu oportet intelligi, ut nemo pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia, vel pro misericordia divina jejunet, &c.

Conclusio III. Catholicorum.

Iejunia observata à justificatis, conducunt & profunt ad acceptæ gratiæ conservationem & augmentum.

August. in Psalm. 42. Tom. 8. colum. 398. d.

Quàm celeriter accipiuntur orationes benè operantium; & hæc justitia hominis in hac vita, jejunium, elemosyna, oratio: Vis orationem tuam volare ad Deum; fac illi duas alas, jejunium & elemosynam.

*Idem Serm. 65. de Temp. per totum, Tomo 10.
colum. 724. c. & c.*

Adest nobis venerabile & medicabile tempus Quadragesimæ, Charissimi, per quod jejunantes peccatorum nostrorum vulnera curare debemus; quantum sit ergò bonum jejuniij brevi sermone, exemplis additis, differamus. & quæ sequuntur ibidem.

*Idem in questionib. veteris & novi Testamenti, quæst.
120. Tom. 4. col. 854. d.*

Igitur necessaria sunt nobis jejunia, sicut vulneribus medicina: medela enim conferunt vitæ perpetuæ, ita tamen ut duarum rerum testimonio commendentur, id est, oratione, & misericordia.

Conclusio IV. Catholicorum.

Eccllesia habet potestatem indicendi jejunia statuta; ideoque si sint universalia, id est, ab Ecclesia omnibus indicta & imposita,

na, quicumq; illa citra necessitatem, vel aliam causam legitimam negligit, culpæ subicitur, & eatenus observatu necessaria sunt. Quod si verò sint particularia, & localia, decet unumquemq; se ejus loci, in quo est & vivit, consuetudini accommodare.

*August. Lib. de heresib. ad QuodvultDeum, heres. 53.
Tom. 6. colum. 25. b.*

Aëriani ab Aërio quodam sunt nominati, qui cum esset præbyter, doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresim lapsus, propria quoque addidit nonnulla, dicens: Orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solenniter celebranda esse jejunia, sed cum quisque voluerit jejunandum, nè videatur esse sub lege. Huic loco si addideris locum alium qui exstat apud eundem Augustinum Epist. 86. ad Casulanum, Tom. 2. colum. 392. d. Vbi expressè fatetur, quod licet in Evangelicis & Apostolicis literis, totoq; instrumento, quod appellatur testamentum novum, jejunium videat esse præceptum, tempus tamen non inveniatur, præcepto vel Domini, vel Apostolorum definitum: nihilominus autem hæc jejunia statuta celebranda non esse docentem hæreticum habendum asserentem Augustinum audieris, rectissime concluderis, Augustino hæreticum esse omnem eum, qui securus fuerit doctrinam, non eam tantum, quæ sacris literis adversatur, sed etiam quæ Ecclesiæ præcepto contraria est.

*Idem in Epistol. modò citata, 86. ad Casulanum, Tom. 2.
colum. 392. d.*

Sed quoniam non invenimus, ut jam supra commemoravi, in Evangelicis & Apostolicis literis, quæ ad novi testamenti revelationem proprie pertinent, certis diebus aliquibus evidenter præceptum observanda esse jejunia, & ideò res quoque ipsa sicut alia plurimæ, quas enumerare difficile est, invenit infestæ illius filia Regis, hoc est, Ecclesiæ veritatis locum, indicabo tibi, quid mihi de hoc requirenti responderit venerandus Ambrosius, à quo baptizatus sum, Mediolanensis Episcopus. Nam cum in eadem civitate mater mea esset, & nobis adhuc Catechumenis pa-

Q

nis pa-

nis parum ista curantibus, illa sollicitudinem gereret, utrum secundum morem nostræ civitatis sibi esset Sabbato jejunandum, an Ecclesiæ Mediolanensis more prandendum? Ut hac eam cunctatione liberarem, interrogavi hoc supradictum hominem Dei. At ille; Quid possum, inquit, hinc docere amplius, quàm ipse facio? &c. Et mox; Ad quamcunq; Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.

Idem in eadem Epistol. sub initium col. 378. b.

Et quisquis tamē hunc diem (Sabbati) jejunio decernendum putaverit, sicut quidam jejunantes Sabbatum observant, nō parvo scandalo erit Ecclesiæ; nec meritò; in his enim rebus, de quibus nihil rectè statuit scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt, &c. Et inferius, col. 388. b. Interminabilis est ista cōtentio, generans lites, non finiens quæstiones. Sit ergò una fides universæ quæ ubique dilatatur Ecclesiæ tanquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo, quid in fide verum est, impeditur.

Conclusio v. Catholicorum:

Aliud est apud D. Augustinum, jejunare, aliud temperantem sive sobrium esse.

Augustin. Epistol. sæpè citata scil. 86. ad Casulanum colum. 39. A.

Nam. cum eum (Vibicum, qui jejunandum Sabbato cogere omnes volebat) argumenta deficiunt, Sabbato jejunandum, in luxurias epularum, & temulenta convivia, & nequissimas ebrietates insultabundus invehitur, quasi non jejunare, hoc sit inebriari. Quòd si hoc est, quid ergò prodest Romanis Sabbato jejunare? quandoquidem alijs diebus, quibus non jejunant, necesse est eos secundum disputationem hujus ebrios, & ventriculos judicari. Porrò si aliud est, gravare corda in crapula & ebrietate, quæ semper est malum; aliud est autem modestia & temperan-

perantia custodita relaxare jejunandum, quod certè cum sit die Dominico, reprehensorem nō habet Christianum, prandia prius Sanctorum, à voracitate & ebrietate ventriculorum ista discernat, nè Romanos ipsos, quando non jeiunant, ventriculos faciat; & tunc inquirat, non utrum liceat inebriari Sabbato, quod nec die Dominico licet; sed utrum nec Sabbato jejunandum sit, sicut Dominico non solet, &c. Ibidem colum. 384. b. Vtrum non sit Sabbato jejunandum quæritur; non utrum Sabbato non sit luxuriandum, quod nec Dominico faciūt, qui Deum timent, quavis in illo utique non jejunent. Et mox inferius. d. Sicut autem fieri potest, ut jejunetur, & cum jejunium soluitur, si quis ebrius est, tunc inebrietur: ita fieri potest ut nō jejunetur, & si temperantes sunt homines, modestissimè prandeatur.

De jejunio Quadragesimali omnia plena sunt apud virū sanctum, prout qui vult legere, potest si nō apud ipsum doctore sanctum, saltem apud Patrem Torrensem lib. 4. Confessionis cap. 4. quod totum est de jejunio Quadragesimali, &c.

De diebus festis, cujus ritus etiam meminit Pappus in Cōclusionē sua. 3. pariter Catholicorum doctrina habet; primò, illos utiliter celebrari: Secundò, qui nō celebrant illos, si quidem sint universales, & per Ecclesiam universalem universaliter præcepti & instituti, peccare, & eatenus observatu necessarios esse: Sin verò sint particulares unicuique secundum loci in quo est & vivit (sicut & de jejunio dictum est) cōsuetudinem agendum esse. Sed sic etiam per omnia sentit Augustinus.

Augustinus Serm. 251. de Temp. Tom. 10. col. 1151. b.

Sciendum est fratres charissimi, quòd ideò à sanctis Patribus nostris constitutum est Christianis, & mandatum, ut in solennitatibus Sanctorum, & maximè in Dominicis diebus otium haberent, & à terreno negotio vacarent, ut paratiores & promptiores essent ad Divinum cultum, cum nō haberent, quod eos indè retardaret, incommodum, relinquerentq; eo tempore terrenam sollicitudinem, quò facilius possent Dei intēdere voluntatē, &c. Et mox: Idcirco fratres mei non sit vobis molestum in Dominicis diebus, & in Natalitijs Sanctorum divino studere cultui. Do-

100 PARALLELA CONFESSIO.
minicum ergò diem Apostoli, & Apostolici viri ideò religiosa so-
lennitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor no-
ster à mortuis resurrexit.

Idem Lib. 10. de Civitate Dei, cap. 4. Tom. 5. col. 540. d.

Beneficiorum ejus (Dei) solennitatibus, festis & diebus fra-
tutis dicamus sacramusque memoriam, nè volumine tempo-
rum subrepat oblivio, &c.

Idem Epist. 119. Tom. 2. colum. 572. d.

Et in scripturis quidem veteribus ad agendum Pascha non est
præceptum tempus, nisi ex Mense Novorum, à Luna quarta de-
cima, usq; ad vicesimam primam: Ex Eùangelio tamen, quia jam
manifestum est, quo etiam die Dominus crucifixus, & in sepultura
fuerit, & resurrexerit, adjuncta est etiam ipsorum dierum observa-
tio per Patrum Concilia, & orbi universo Christiano persuasum
est, eo modo Pascha celebrari oportere.

*Idem in Psalm. 88. Concione. 2. sub finem, Tomo 8.
colum. 991. a.*

Attendite ergò Charissimi, tenete omnes unanimiter Deum
patrem, & matrem Ecclesiam. Natalitia Sanctorum cum sobries-
tate celebrate, ut imitemur eos, qui præcesserunt, & gaudeant de
vobis, qui orant, pro vobis; ut benedictio Domini in æternum ma-
neat supra vos, fiat, fiat.

Præter istos duos ritus, scilicet jejuniorum, & certarum feriarum,
nulli alij omnibus fidelibus in communi dati sunt & præcepti,
præterquam Confessio, & Communiò, quæ facienda nemo du-
bitat, & Ecclesia ad minimum semel in Anno fieri jubet. Cateri ri-
tus omnes, vel instructiones tantum sunt, vel conditionati, & cer-
tis personis, qui ad istos ultrò se obligant, dati. Vndè patet, quàm
inanis & temeraria sit adversariorum, de rituum, & ceremoniarum,
sive traditionum humanarum multitudo, querela. Vestitui, cujus
ritus etiã mentionē facit Pappus hinc in Coclus. sua 3: nihil tribuit
Catholici, nisi vim discernendi ordines & religiones: Itē admonē-
di de quibusdã internis homines. Quod maximè Augustinianum est.

AUGUSTINUS

Augustinus Lib. 6. cont. Faust. cap. 9. Tom. 6. col. 240. b.

Sed inordinate vivere, & diversi generis professiones velle miscere, ut vel sanctimonialis habeat ornamenta nuptiarum, vel ea quæ se non continens nupsit, speciem virginis gerat, omni modo peccatum est.

Idem Epist. 109. Tom. 6. colum. 510. c.

Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus piacere, sed moribus: Nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, nè: retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nè foris vel spargat negligentia, vel componat industria.

Idem Epist. 199. Tom. 2. colum. 814. d.

Sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis à virginali veste distinctus, qui potest fidelibus cōjugatis, salva religionis observantia, convenire, &c.

Nihil nè minimum quidem lucratur contra hæc omnia Pappus, omnibus quæ affert etiam hîc ex Augustino locis. In primo enim contra primam, sicut & superius dictum est, cum dubitaret Augustinus, expedire nè die Sabbati jejunare, annon; definit, satius esse non jejunare, ad significandam requiem sempiternam. Secundus ex lib. 2. quæst. &c. ostendit, nõ tam considerandum, quantum quisque cibi capiat, quàm quo animo vel capiat, vel careat. Vnicus circa tertiam; Leges, quæ adversantur religioni & justitiæ, leges non esse, & potiolem rationem esse legum divinarum, quàm humanarum. Vnicus circa quartam; neminem ex cibi sumpti vel præstantia, vel vilitate judicandum, magis minusve bonum habendum. Vnicus circa septimam; neque manducandum, neque jejunandum esse cum aliorum scandalo. Vnicus, quem citat in Concl. 10. observationes indifferentes liberarè relinquendas: Sed ibidem addit, constitutiones fundatas in Scripturis factas à Concilijs, vel totius Ecclesiæ consuetudine roboratas servandas esse, ut jam dictum est. Sed quid hæc omnia vel ad propositum, vel contra jejunium, vel contra nos?

Conclusiones. 13. 14. 15. 16. & 17. tolerantur, modò à mortificatione.

Q 3

catio-

cationibus carnis jejunia non excludant, sed suum etiam locum illis relinquunt.

Conclusio 18. Pappi quomodo cum Augustino conveniat, ex paulò antea dictis constat, ubi ostensum, negantes statuta jejunia servanda & celebranda esse, Augustinum habere pro hæreticis.

Nihil incommodant tria loca adducta hîc. Primus enim ex libro 30. cont. Faust. habet, quosdam semper abstinere, quosdam certis diebus; sicut, per Quadragesimam ferè omnes, quanto magis quisque vel minus seu voluerit, seu potuerit: quod intelligi debet non de diebus, quasi cuique liberum esset, quibus diebus vellet jejunare, sed de modo jejuniij, id est, posse aliquem parcius, aliquem minus parçè jejunare; ipsum enim existimasse, ad Quadragesimalis jejuniij observationem teneri & obligari omnes, quos non excusat vel ætas, vel necessitas, vel infirmitas. Clarissimum est & ex eo, quòd in enarratione in Psalm. 110. Tomo 8. colum. 1189. a. scribit, jejunium hoc Quadragesimale præcipi nobis & ex Lege, & ex Prophetis, & ex ipso Evangelio. Iterùm quòd in Serm. 62. de Tempore Tom. 10. colum. 719. a. jejunium hoc commendans, hunc in modum loquitur. Rogo vos fratres charissimi, & admoneo, ut in isto legitimo, & sacratissimo tempore (Quadragesimali) exceptis Dominicis diebus nullus prandere præsumat, nisi fortè ille, quem jejunare infirmitas non permittit, quia alijs diebus jejunare remedium est, aut præmium; in Quadragesima non jejunare peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam; in Quadragesima qui non jejunat, sentiet pœnam, &c. Et ex eo, quòd in hujus ejusdem lib. 30. contra Faust. à Pappo citati cap. 3. colum. 472. c. hæc verba leguntur: Quid verò & de illo dicemus, quod sanè frustrari quis audeat, aut negare? cùm constet, hoc inter omnes, & æquè per orbem terrarum, quotannis omni cum studio celebretur in conventu Catholicorum, Dico autem Quadragesimam, quam qui inter nos ritè observandam putaverunt, abstineat necesse est omnibus his, quæ capitulum hoc à Deo ad percipiendum nobis creata dicit, & Dæmoniorum insuper doctrinam vocat abstinentiam prædictorum, &c. Et inferius colum. 473. a. Si Quadragesima sine vino & carnibus non superstitiosè à vobis, sed divina lege servatur,

vatur, videte quæso, videte, nè summæ dementiæ hoc sit à Paulo dictum, putare, quòd Dæmoniorum doctrina sit abstinentia omnis ciborum, & prohibentes nubere, &c.

Secundus ex Epistol. 86. ad Casulanum pariter habet, præceptum esse jejunium literis Evangelicis & Apostolicis, nõ autem dies definitos, quibus sit jejunandum, vel non, ideoque cum esset quæstio, Sabbatonè jejunare annon expediret, cum nihil definitum sit, nullum alterum quicquid hic fecerit, contemnere debere, sed unumquenque sibi, & suo judicio relinquendum, intellige quàm diu nihil definiatur; si enim quid definiatur ab Ecclesia, unumquenque illius definitioni acquiescere debere, patet ex omnibus locis, in quibus Ecclesiæ obediendum esse docet, adeò ut impudentissimè insaniæ esse velit, dubitare de ijs, quæ definit. Idem dicitur ad tertium locum, quia enim Sabbato Romæ jejunabatur, Mediolani autem nõ, unumquenq; dicit se debere accommodare consuetudini loci. Et sanè perversus valdè Pappus est, qui quod Augustinus respectu loci liberum esse finit, ille in genere, & sine ullo respectu vel Ecclesiæ, vel loci, ad cujusq; hominis privati arbitrium liberum facit.

Conclusiones 19. & 20. nihil novi habent, ac utinam verum esset, quod cum hîc, tum alijs articulis gloriantur.

Locus Conclusioni vigesimæ subjunctus distinguit inter mala, ita ut quædam mala insinuet quia prohibita sunt; quædam prohibita, quia mala & criminosa; posterioris generis nunquam esse licita; prioris generis, licita aliquando in necessitate fieri posse. Sed quis reluctatur? annon enim jejunij legem licitè aliquem transgredi posse, vel propter infirmitatem, vel aliam necessitatem diximus semper, & adhuc cū August. dicimus? Ergò seipsum Pappus hîc confutat, qui cessante omni necessitate unicuiq; liberum esse vult, jejunare vel non, contra Augustinum.

Circa Conclusionem 21. repetit cramben suam bis coctam de libertate jejunandi, vel non in Sabbato secundum Augustini sententiam, & hinc probare se posse frustra putat, idem sentisse Augustinum de omnibus jejunijs.

Conclusiones 22. 23. 24. & 25. cum ijs quæ subduntur, unicuique hoc ostendunt; rituum non præceptorum, & particularium dissimilitu-

Similitudinem, & varietatem nihil præjudicare unitati fidei, quod notissimum, & in confessio apud omnes Catholicos est. De universalibus, qui sub præcepto sunt, aliud est, ut ex sæpè allatis constat. Et certè neque hodie per totam Ecclesiam ab omnibus eadem vel festa peraguntur, vel jejunia coluntur, sed alia & alia; quod licet; modò qui peragunt & colunt propria quædam; non intermittant communia & præcepta, & eos qui sua propria non celebrant, non damnent: ut nihil dicamus, Socratis testimonij, tanquam hæretici & fabulosi Scriptoris, nihil nos moveri.



ABVSVS VI.

DE VOTIS MONACHORVM.

Letiam hic articulus farraginem & congeriem completitur valdè copiosam plurimarū Conclusionum, quarum pleræque sententiam non Ecclesiæ Catholicæ de votis, sed unius vel alterius Scriptoris Catholici, & nè illius quidem fideliter & exactè ponunt & explicant. At quia, ut & antea monui sæpius, inter me & Pappum disceptatio suscepta est de Augustini fide & sententia, propositumque mihi ostendere, Augustinum fuisse Catholicum, vel ut hodiè nominant Pappistam; & non quid unus, vel alter Catholicorum scripserit & senserit, curiosius perquirere: ideo etiam hic Ecclesiæ Catholicæ mentem & sententiam de votis ordinatius & fidelius multò, quàm à Pappo & suis in Confessione factum est, per Conclusiones nonnullas ob oculos ponam; mox illam per omnia Augustini doctrinæ conformem & consentaneam esse, clarissimè & brevissimè, ad unamquamque Cōclusionem paucissimorum testimoniorum appositione, ostendam. Et licet Pappus per paucam in toto hoc articulo ex Augustino habeat, & nominatim inter 28. Conclusiones, nō nisi ad quatuor testimonia ex Augustino adscribat; tamen quicquid uspiam habet, nihil nè in minimo quidem causæ nostræ officere, apertissimè
convincam.

DE VOTIS CATHOLICORVM.

Conclusio I. Catholicorum.

Vovere aliquid Deo, licitum, pium & sanctum est.

*Augustin. Lib. de sancta Virginitate cap. 29. Tom. 6.
colum. 824. a.*

Vos itaque (Virgines) sequimini eum tenendo perseveranter, quod vovistis, ardentem, facite cum potestis, nè Virginitatis bonum à vobis pereat, cui facere nihil potestis, ut redeat, &c. Et paulò post: Præsument itaque, fidite, roboramini, permanete, qui vovetis & redditis Domino Deo vestro vota perpetuæ cōtinentiæ, nō propter præsens seculum, sed propter regnum cœlorum.

Idem Epistol. 143. ad Iulian. Tom. 2. colum. 666, B.

Ministerij nostri adjuvante gratia, & misericordia Salvatoris in domo nostra tantus fructus exortus est, ut humanis nuptijs jam paratis, sancta Demetrias spiritualement sponsi illius præferret amplexum, cui specioso præ filijs hominum ad habendum spiritus uberiorem fœcunditatem, nec ad amittendam carnis integritatem virgines nubunt, &c. Confirmabitur latius hæc Conclusio ex sequentibus.

Conclusio II. Catholicorum.

Vota tam Religiosorum, quàm aliorum de varijs bonis sunt; inter omnia tamen Religiosorum sive Monachorum vota præminent, & potiora sunt votum castitatis, paupertatis & obedientiæ, quæ & à viro Sancto præ omnibus alijs suadentur commendanturque.

*Augustin. Lib. 1. de moribus Ecclesie cap. 31. Tom. 1.
colum. 771. a.*

Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis nō illos miretur & prædicet, qui contemptis atq; desertis mundi hujus illecebris in communem vitam castissimam sanctissimamq; cōgregati, si-

R mul

mul ætatem agunt viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quicquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est.

Idem Epist. 45. ad Arment. Tom. 2. colum. 159. c.

Non enim talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, nō pejor. Modò autem tantò (quod absit) inferior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior si perfolveris.

Idem Lib. 1. de adulterinis conjugijs cap. 24. Tom. 6. colum. 853. a. b.

Quod enim cuiquam, antequam vovisset, licebat, cum id se nunquam facturum voverit, nō licebit: si tamē id voverit, quod vovendum fuit, sicut est perpetua virginitas, vel cōtinentia, &c.

Idem Lib. de sancta Virginit. cap. 14. Tom. 6. col. 816. a.

Sed quoniam devitatis remissivè peccatis, adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui cōsequendæ parum est liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voveatur, quòd non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis, &c.

Idem Serm. 61. de temp. Tom. 10. colum. 717. a.

Aliud est Consilium, aliud Præceptum. Cōsiliū datur ut virginitas conservetur, ut à vino, & à carnibus abstinenceatur, vendantur omnia, & pauperibus erogentur.

Idem Lib. de sancta Virginit. cap. 30. Tom. 6. col. 824. c.

Vos etiam qui hoc nondum vovistis (perpetuam continentiam) qui potestis capere capite, perseveranter currite, ut comprehendatis, &c.

Idem

Idem Lib. 17. de Civitate Dei cap. 4. Tom. 5. col. 946. d.

Dixerant enim potentes illi (Apostoli): Ecce nos dimissimus omnia & sequuti sumus te: hoc votum potentissimi voverant. Sed undè hoc eis, nisi ab illo, de quo continuò dictum est: dans votum voveranti?

Idem Lib. 1. de moribus Ecclesie cap. 31. Tom. 1. col. 771. b.

Hiverò patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellētissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia cōsulunt ijs, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.

Idem in Psalm. 75. Tom. 8. colum. 836. b.

Sunt etiam vota propria singulorum; alius vovet Deo castitatem conjugalem, &c. Alij etiam voverunt, etsi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, &c. Alij Virginitatem ipsam ab incunte aetate voverunt, ut nihil tale vel experiātur, quale illi experti sunt, & reliquerunt; & isti voverunt plurimum. Alij voverunt domum suam esse hospitem omnibus sanctis advenientibus, magnum votum voverunt. Alius vovet relinquere omnia sua, distribuēdo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem sanctorum, magnum votum vovit. Et inferius. d. Nemo ergò positus in Monasterio frater dicat, recedo de Monasterio; neque enim soli, qui sunt in Monasterio, pervēturi sunt ad regnum cœlorum; & illi, qui ibi nō sunt, ad Deum nō pertinet. Respondetur ei, Sed illi nō voverunt, tu vovisti, tu retro respexisti.

Conclusio III. Catholicorum.

Vota illa à Monachis, qui in Monasterijs vivebant, jam temporibus Augustini, & antea etiam edi solita sunt; falsumque propterea est, quod Pappus dicit in Conclusione prima, Augustini tempore Monasteria libera collegia fuisse, postea vero corrupta disciplina, ubique vota addita esse.

R 2

August.

August. in Psalm. modò citatum 75. colum. 836. c.

Nescio quæ Castimonialis nubere voluit. Quid voluit? quod & Virgo quælibet. Quid voluit? quod & mater ipsius. Aliquid mali voluit? mali planè. Quare? quia jam voverat Domino Deo suo. Et paulò pòst, colum. 837. a. Nam & modo dicimus illud quibusdam fratribus nostris, quos fortè viderimus velut infirmari in proposito bono, Et talis vis esse, quales illi? Objicimus illis quosdam, qui retrò respexerunt. Illi fatui sunt in se, sed alios cõdiunt, quando commemorãtur, ut illorum exemplum timen-tes, isti retrò nè respiciãt. Vovete & reddite Domino Deo nostro, quia illa uxor Loth ad omnes pertinet.

Idem enarratio. in Psalm. 99. colum. 1127. c.

Sic & in illa vita communi fratrum, quæ est in Monasterio magni viri Sancti, quotidie in Hymnis, in Orationibus, in laudibus Dei inde vivunt, cum lectione illis res est, &c. Et paulò pòst: Et paucorum hominum molestia irritatus, dum non perseveraverit implere, quod vovit, fit defertor tam Sancti propositi, & reus voti non redditi.

Idem Epist. 89. ad Hilar. Tom. 2. colum. 412. d.

Ego, qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: Vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, &c. vehementer adamavi, & non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci, &c. Et mox: Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo cõsortes, quibus per meum ministerium persuasum est, &c.

Huic Concusioni nihil prorsus obstat locus ex Possidonio à Pappo adductus pro Conclusionem suam primam: tantum enim docet, ex Monasterijs petitos esse Episcopos & clericos. Sed quomodo inde sequitur, illos propterea votis obstrictos non fuisse? siquidem idem adhuc fiat. Locus ex Basilio itidem docet, in Monasterijs viventes diligenter in sacris instituendos esse; sed quis

Conclu-

Conclusio IV. Catholicorum.

STatus conjugatorum bonus, laudabilis & sanctus est; melior tamen, laudabilior & sanctior status Religiosorum, cæteris paribus, id est, considerato unoquoque statu in se, cessantibus omnibus corruptelis.

*Augustin. Lib. de bono conjugali cap. 8. Tomo 6.
colum. 796. c. d.*

Sicut ergo bonum erat, quod Martha faciebat occupata multum circa ministerium sanctorum; sed melius quid Maria soror ejus sedens ad pedes Domini, & audiens verbum Domini, cum cum ambæ hospitiis recepissent: Ita bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus; sed tamē ei bonum viduæ Annæ ac multo magis Mariæ Virginis antepoſimus. Bonum erat quod faciebāt, qui de substantia sua Christo ac discipulis suis necessaria ministrabant, sed melius, qui omnem substantiam suam dimiserūt, ut expeditiores eundem Dominum sequerentur, &c.

*Idem in toto Lib. de Sancta Virginit. Tom. 6. maximè
cap. 12. & 13. col. 815. a. b.*

Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honestè, &c. Hæc tamē omnia humani officij sunt munera; Virginalis autem integritas, & per pian continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis: illa non est in potestate, illa non est in æternitate.

Idem cap. 23. colum. 820. d.

Nam cum de conjugibus non separandis, nisi causa fornicationis, divinè ac terribiliter loqueretur, dixerūt ei Discipuli: Si talis est causa cum uxore, non expedit nubere. Quibus ille: Non omnes, inquit, capiūt hoc verbum; sunt enim spadones qui ita nati sunt: sunt autē alij, qui ab hominibus facti sunt: & sunt qui seip-

psos castraverūt propter regnum cœlorum: qui potest capere capiat. Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, veritas dicit, virtus & sapiētia Dei dicit, eos, qui pio proposito ab uxore ducenda se cōtinuerint, castrare se ipsos propter regnum cœlorum: Et cōtrā Vanitas humana impia temeritate cōtendit, eos, qui hoc faciūt, præsentem tantummodò necessitatem molestiarum conjugaliū devitare: in regno cœlorum amplius quicquam cæteris non habere.

Idem cap. 44. colum. 833. a.

Nam quis nesciat, obedientem mulierem inobediēti virgini præponendam? Sed cum sint obediētes præceptis Dei; ita nē trepidabit sanctam virginitatem etiam castis nuptijs, & cōtinentiam præferre cōnubio, fructum centenum præire triceno? imò verò non dubitet hanc rem illi rei præponere.

*Idem Lib. de hæresib. ad Quod vult Deum; hæresi. 82.
Tom. 6. colum. 30. c. Inter Ioviniani errores numerat, quòd conjugium virginitati æquaret, his verbis.*

Virginitatem etiam Sanctimonialium, & cōtinentiam sexūs virilis, in sanctis eligētibus cælibem vitam cōjugiorum castorum, atque fidelium meritis adæquabat; ita ut quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito, nupsisse dicantur.

Idem Lib. 2. Retract. cap. 22. Tom. 1. col. 47. d.

Ioviniana hæresis sacrarum virginum meritum æquãdo pudicitæ cōjugali rãtum valuit in urbe Roma, ut nōnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, deiecisse in nuptias diceretur.

Idem Epistola 89. Tom. 2. colum. 407. c.

At ille (Adolescēs, de quo Matth. 19.) quidem tristis abscessit, qui viderit quemadmodum illa legis mādata servaverat, &c. Verruntamē magister bonus mādata legis ab ista excellētiore perfectione

ctione distinxit. Ibi enim dixit: Si vis venire ad vitam, serva mādā-
ra: Hic autē, Si vis perfectus esse, vade vēde omnia, quæ habes, &c.
Et pōst colum. 4011. d. Quibus autem nō provenit corona Mar-
tyrij, neq; illius perfectionis de vēdendis rebus suis cōsiliū tam
grande, tamque præclarum receperunt, & tamē à damnabilibus
innumeris criminibus esuriētem Christum paverūt, sitienti po-
tum dederūt, nudum vestierūt, peregrinātem susceperūt; nō fede-
būt quidem cum Christo sublimiter judicaturi, sed ad ipsius dex-
teram stabunt misericorditer judicandi.

Conclusio v. Catholicorum.

STatus Religiosorum, qui hæc tria vota edunt, non est status
perfectionis, utpotè quæ in charitate consistit, sed est via ad
perfectionem.

Probatur hæc ex Enarratione in Psalm. 132. Tōm. 8. col. 1435. b.
ibi exponēs illud, Ecce quam bonum & jucūdum habitare fra-
tres in unum, dicit: dulcissimum hoc canticum excitasse homi-
nes, & de secularibus fecisse Monachos; nihil q; aliud significare
Monachum, quam hominem in tali unitate & cōmunitate, cum
alijs ejusdem instituti vivētem, ut cum illis omnibus unum cor
habeat, & unum ac solum hominem faciat. Idem, toties hoc con-
firmat, quoties unā cum Apostolo & alijs superbiam, avaritiam
& cōcupiscentiam carnis, cōtra quæ illi, qui Monachi sunt, & in
Monasterijs vivūt, obedientiam, paupertatem, & castitatem vo-
vent, non mala tantū, sed malorum omnium initia & radices
quasi cōstituit; sicut & in hujus ejusdem Psal. enarrat. facit, & ali-
bi frequēter. Idem etiam ex eo colligere est, quòd nō tātum ipse
vir sanctus hoc vitæ genus ingressus & professus est, sed & alijs
ingrediendi profitendiq; autor exstitit, sicut ex 4. testimonio
ad Conclusionem tertiam paulò antea positam allato, comper-
tissimum est.

Quia verò Pappus & complices ejus Confessionistæ & hic in
Conclusionem 6. 7. 8. 19. 22. 23. 24. &c. & alibi persæpè nos odiosè
traducūt, quasi doceremus, eos qui hoc vitæ genus sequūtur, *me-
reri remissionem peccatorum, & justificationem coram Deo, imò etiam*
amplius

amplius quiddam; Prætereà monasticam esse meliorem Baptismo; plus mereri, quàm vitam magistratuam, pastorum & similium; præponere etiam consilia præceptis: Idcirco visum est hic etiam obiter mone- re Lectorem, ista omnia meras calumnias & mēdacia adversario- rum esse. Diximus quidem & dicimus opera Religiosorum, cu- jusmodi sunt castè vivere, nihil proprij retinere, obedire maiori- bus, esse opera bona, & si à castis fiant, vitæ meritoria; cōducere etiam ad satisfactionem pro peccatis, sicut alia bona opera om- nia facta in gratia. At mereri justificationem, nūquam diximus. Similiter diximus Religionem cū Baptismo quādam habere si- militudinem; primò, quòd sicut in Baptismo renūciamus Diabo- lo, & incipimus novā vitam, ita per professionem Religionis re- nūciamus seculo, & multis licitis voluptatibus, & incipimus no- vam vitam. Secundò, quòd sicut in Baptismo remittitur culpa cum pœna, ita in professione Religionis, piè credidimus remitti, si debita intētionē suscipiatur, nō culpam, sed pœnam tantum temporalem peccatis debitam. At Religionem baptismo nun- quam æquavimus, nedum quòd anteposuerimus. Itidem Reli- gionem cæteris statibus nō anteposuimus, nisi in quātum expē- ditiorē viam illam esse voluimus inserviēdi Deo liberè, cōten- dendiq; ad summam & maximam Christiani hominis perfectio- nem, quæ in charitate cōsistit. Idem de eo est, quòd scribūt nos anteposuisse Cōsilia Præceptis, cū nō anteposuerimus, sed tan- tum Cōsilia instrumēta esse dixerimus ad commodiorem māda- torum observātiā; addiderimusque, quòd si in aliquo & cōsi- liorum, & præceptorum adimpletio simul inveniretur, dubitan- dum nequaquam foret, quin perfectior status ejus esset, quàm si præcepta sola observasset, secūdum illud Christi, Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes.

Conclusio VI. Catholicorum.

VOta fieri & edi debent, nō nisi cum magna deliberatione, ul- trò, citra vim & coactionem omnem.

Augustinus in Psal. 75. Tom. 8. colum. 836. a.

Quisque potest, voveat, & reddat. Nè voveatis, & nō reddatis,
sed

sed quisq; quod potest, voveat & reddat, non sitis pigri ad vovendum, non enim viribus vestris implebitis. Deficietis, si de vobis præsumitis, si autem de illo, cui voveris, vovete, securi reddetis, &c. Et inferius. c. Quisq; quod vovere voluerit, voveat; illud attendat, ut quod voverit, reddat. Vnusquisq; Deo quod vovet, si respicit retrorsum, malum est.

Conclusio VII. Catholicorum.

Rectè ab Ecclesia certum tempus definitum est, vovere volentibus, ante quod qui voverint, illorum vota, si velint, irrita sunt, & obligationem nullam afferunt. Quæ Conclusio deducitur, & sequitur ultrò ex præcedenti. Esse autem hanc Ecclesiæ mentem, illamq; perpetuò detestatam esse eos, qui ante tempus Sacris Canonibus definitum ad Religionis cuiusvis professionem quoscunque quocunque modo induxerunt, intelligit, qui volet, ex Concilio Trident. Sess. 25. cap. 18.

Conclusio XIX. Catholicorum.

Vota omnia, maximè etiam tria illa Religiosorum, homini per gratiam Dei, quæ rectè petenti nūquam denegatur, servatu possibile sunt.

Augustinus Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 4. Tom. 7. colum. 1302. c.

Hinc autem Domino loquenti cum dixissent Discipuli: Si talis est causa homini cum uxore, non expedit nubere: Respondit eis: Non omnes capiūt verbum hoc, sed quibus datum est. Nunquid nō liberum arbitrium Timothei exhortatus est Apostolus, dicens: Cōtine te ipsum? Et in hac re potestatem voluntatis ostendit; ubi ait: non habens necessitatem: potestatem autem habens suæ volūtatis, ut servet virginem suam; & tamen nō omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est, sic volunt, ut impleant quod volunt.

S *Idem*

Idem Lib. 6. Confess. cap. 11. Tom. 1. colum. 119. d.

Putabam enim me miserū fere nimis, si fœminæ privarer amplexibus, & medicinam misericordiæ tuæ ad eandem infirmitatem sanandam non cogitabam; quia expertus non eram, & propriarum virium credebam esse continentiam. Quare mihi non eram conscius, cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est: neminem esse posse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te jactarem curam meam.

Idem Epist. 89. ad Hilarium, Tom. 2. colum. 398. a.

Et cum scirem, inquit (Sapiens cap. 8.) quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum illum. Nunquid dixit; & cum scirem, quia nemo potest esse continens, nisi per proprium liberum arbitrium, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire à me ipso esse hoc bonū, &c. Et mox: Iubet ergo Deus continentiam, & dat continentiam; jubet per legem, dat per gratiam; jubet per literam, dat per Spiritum.

Idem Lib. 2. de adult. conjugijs cap. 10. 13. & 20. Tomo 6. ex professo in eo totus est, ut doceat, continentiam ab omnibus prestari & servari posse, &c.

Conclusio IX. Catholicorum.

OMnes post editum & emissum votum solenne, Matrimonium contrahentes peccant, & damnationem incurrunt. Cōclusio hæc probata est uberrimè ex D. Augustino in examine tertie Conclusionis abusus secundi, de conjugio sacerdotum.

Contra hanc sententiam Catholicorum nihil profus faciunt omnia hinc inde à Pappo ex D. August. citata loca. Vnicus enim ex Possidonio ad primam Conclus. appositus, ut & antea in hoc eodem articulo circa Conclus. 3. Cathol. monui; aliud non habet, quàm ex monasterijs petitos esse Episcopos & clericos. Quæ
verò

verò ex Basilio subjungit, in Monasterijs viventes, diligēter in saceris instituendos docet; quorū neutrū negatur. Circa Cōclusionem 13. affert Pappus tria loca ex August. ut ostendat, Votum debere esse de re possibili, voluntarium, sponte & consultò susceptum; quod idem etiā nos, & quidem totidem verbis volumus: tantū fateatur Pappus cum August. vota illa tria, Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ, de rebus possibilibus esse, quod ostendit Conclusio Cathol. in hoc artic. octava.

Ad 17. Conclusionem apponit duo loca, ut ostendat; quòd quantumvis secundum D. August. voti violatio possit reprehendi; quòd tamen secundum eundem matrimonia contrahentium post vota non sint dissoluenda. At sat est nobis, contra Pappum & suos, secundum viri Sancti sententiam & mentem, omnes taliter contrahentes peccare gravissimè, damnationem mereri, & adulteris peiores esse. Valeant nihilominus matrimonia ipsorū, necne, hic non disputamus. Potest esse, ut tempore D. Augustini Matrimonia talia habita fuerint pro ratis, tandemque post ipsius tempora Votum relatum fuerit inter impedimenta matrimonium & impedientia & dirimentia. Quippè adhuc hodiè disceptatur, quo jure votum impediatur Matrimonium, divino, an humano? Quid? quòd dici possēt, fortè D. Augustinum de voto simplici locutum esse. Sed sive hoc, sive illud sit, viro Sancto, Lutherus cum sua Ketha, & quotquot illorū exemplo permoti, post votum solenne nuptias contraxere, damnati sunt.

Circa 20. Conclusionem affert locum, ut ostendat, votum impium, & factum contra mandatum Dei, non valere. Sed quis negat? Sed quomodo contra mandatum Dei D. Augustino tria sæpè dicta vota Monachorum sint, Pappo dicendum restat. Sed quomodo contra mandatum Dei erit, quod Deus ipse consulit & suadet?

Circa 21. Conclus. ponit locum, quo ostendere vult, illos qui votis tribuunt justificationem evacuari à Christo. Sed neque nos hoc votis tribuimus, ut ex dictis constat, neque locus Augustini de votis est; sed in genere in eos, qui cum sint per gratiam Christi a lege Mosaica, & observatione ejus redempti, ultrò eidem se iterum & de nouo subdere volunt.



ABVSVS VII.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Etiam hic articulus, qui cæteros omnes vana prolixitate superat, odiosa & inanis repetitio est eorum, de quibus in superioribus disputavimus: Magna ex parte extra propositum nostrum appositus. Scit quippè Pappus, non de alio, nisi de Augustini sententia & fide dilceptatione inter nos susceptam esse. Quòd si de re ipsa mecum contendere Pappo libet alio tempore & libro, non renuo; jam nihil, nisi Augustini sententiam tradere & explicare propositum habeo. Quæ ergò Pappus de potestate Ecclesiastica ex Augustino circa Conclusiones triginta quatuor affert, sequentia sunt.

Circa Conclus. quartam affert locum, ut ptobet, suos, sive sue sortis & Confessionis homines *ad consolandas conscientias coactos esse ostendere discrimen potestatis Ecclesiasticae, & potestatis gladij. docuisse item utramq. potestatem propter mandatum Dei venerandam, & honore afficiendam esse, &c.* Sed quis ista unquam negavit? nisi quòd Augustana Cōfessio falsò scribit, coactos esse ipsos ad ostendendum, quasi nemo alius ante ipsos hoc ostendisset. Potuisset autem Pappus aptiora & graviora multò ad ostendendum hoc ex D. Augustino adduxisse loca, & etiam ex nostris, qui atate Lutheri proximè antecesserunt, & cum ipso Luthero vixerunt. præsens enim, quem affert, nihil docet, nisi apud Apostolum, quando dicit; non frustra gladium portat, &c. per gladium intelligi non potestatem spirituales excommunicationis, sed aliam civilem scilicet.

Circa sextam Conclus. affert decem loca, ut ostendat, ad potestatem Ecclesiasticam pertinere, *predicare verbum, & porrigere sacramenta, vel multis, vel singulis juxta vocationem, &c.* Sed quis hæc competere potestati illi unquam dubitavit, nedum inficiatus est? Tantùm Pappus concedat, non omnem potestatem hujus potestatis his solis finiri. Certè Episcopis, in quibus hæc potestas

restas invenitur, D. Augustinus tribuit potestatem corripiendi subditos, degradandi, excommunicandi, & reliquas coërcitiones Ecclesiasticas, cum res postulat, adhibendi. Alibi etiam scribit, gerere illos in Ecclesia vices Apostolorum, quos certum est cōdidisse leges subditis sibi: quin & judicasse causas Laicorum, prout paulò post de singulis testimonia ponentur. Ex quo colligere licet, malè & contra Augustinum testimonia poni, quòd potestas hæc exerceatur, & consistat tantum in docendo, seu prædicando verbum, & porrigendo sacramenta.

Circa 10. Conclusionem affert tria loca, ut ostendat; *Episcopis, ut Episcopis jure divino nullam competere jurisdictionem, nisi remittere peccata: Item cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere; & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesie sine vi humana, sed verbo, &c.* In quo nos cōsentientes habebit, si unum hoc addiderit ipsos posse etiam eodem jure instituire, quæcunq; fidelibus expedire judicaverint, idq; exemplo Apostolorum, in quorū locum successerunt. Quid? quòd primus locus à Pappo citatus circa Conclus. hanc, expressè tribuit ipsis potestatem præcipiendi.

Circa 11. Conclusionem ponit locum unicum, ut ostendat; *nō esse audiendos, quando contra Evangelium docent, aut statuunt.* Sed quis contradicit? Idem repetitur in 15. Conclus.

Circa 16. Conclusionem duo loca apponit, eò ut (quantum colligere possum) doceat; *observationem etiam diei Dominica debere esse liberam.* Sed nihil hujus habent loca ista. Primus enim diem Dominicam Apostolos, & Apostolicos viros sanxisse indicat, qui cum audiendi sint, potius concludi debet, necessariò illam observari debere, quàm quòd debeat cuique liberum relinqui; præsertim cum Augustinus dicat, ita institutam, ut religiosa solennitate celebraretur, & huic diei honos haberetur. Secundus pariter nihil dicit, nisi Sabbatum non debere observari à nobis secundum literam, more Judæorum, ut ociemur tantum ab opere corporali, sed spiritualiter; sed quid hæc ad rhombum?

Circa 29. Conclusionem profert locum eò, ut persuadeat *traditiones omnes liberæ esse debere.* Sed tantum abest, ut faveat Pappo, ut eundem aperte refellat; habet enim locus, Apostolos de-

disse præceptum fidelibus, de abstinendo à sanguine, & suffocato; Si præceptum: ergò observatio ejus nō erat libera. Quòd autem subdit; postea cessasse, nihil contra nos hinc inferri potest: fuit enim præceptum temporale.

Circa 34. Conclusionem locum producit eò, ut probet, quòd *si non possit ab Episcopis impetrari quarundam observationum, quæ sine peccato non possunt præstari, relaxatio; unumquemque oporteat sequi regulam Apostolicam, quæ præcipit, Deo magis obedire, quàm hominibus, &c.* Sed frustra: nemo enim tam vel insipiens, vel impius, qui neget: quamdiu verò Episcopi talia, quæ contra Deum non sunt, præcipiunt, audiendi, sicuti mox probabitur, citra omnem dubitationem sunt. Si igitur non audiendos esse probare velit Pappus, ostendere debet, illa, quæ præcipiunt, adversari Deo, & legi eius.

In cæteris Conclusionibus omnibus, quotiescunque Pappus nos remittit & ablegat ad superiora, eòdem etiã ego Lectorem ablegatum volo: ibi enim solidè confutata, quæ erant confutanda, certò inveniet.

Sed ut etiam hîc Pappus cum suis, quantum institutum patitur, & postulat, nostram sententiam sciat, hæc penè Ecclesia Catholica de potestate Ecclesiastica, credidit & credit.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Conclusio I. Catholicorum.

PRæter potestatem Civilem est potestas Ecclesiastica.

Conclusio II. Catholicorum.

UTraque potestas bona, sancta, & à Deo est.

Quæ duæ Conclusiones, quia nobis Catholicis cum Adversariis communes sunt, probatione peculiari opus non habent.

Conclu-

Conclusio III. Catholicorum.

Istæ duæ potestates licet inter se distincte sint, non tamen contrariæ, ita ut non possint in unam & eandem convenire personam.

Augustinus in Psal. 118. Tom. 8. colum. 1387. d.

Nam maligni exercent ad facienda mandata, à scrutandis autem avocant non solum cum persequuntur, aut litigare nobiscum volunt; verumetiam cum obsequuntur & honorant, & tamen suis vitiosis & negotiosis cupiditatibus adjuvandis, ut occupemur, & eis nostra tempora impendamus, efflagitant, aut certe infirmos præmunt, ut causas suas ad nos deferre cõpellant, quibus dicere non audemus, Dic homo, quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos? Constituit enim talibus causis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens jurgare Christianos, &c. Et inferius a. Ignoscant obedientes fideles, qui pro suis secularibus causis raro nos quærunt, & judicijs nostris facillimè acquiescunt: nec nos conterunt litigando, se obtemperando potius consolantur, &c.

Idem Epist. 147. Tom. 2. colum. 685. c.

Et homines quidem causas suas seculares apud nos finire cupientes, quãdo eis necessarij fuerimus, sic nos sanctos & Dei servos appellant, ut negotia terræ suæ peragant, &c. Quòd si verò Confessionistas offendunt Ecclesiasticorum Prælatorum possessiones & opes ampliores, quàm eas ipsi vellent; jam tempore suo illas sat amplas fuisse, testis est August. Epist. 225. Tom. 2. col. 875. b. Ego, inquit, quippè secundum multorù sensum comparantiù semetipsum sibi semetipsum, non divitias dimisisse, sed ad divitias videor venisse. Vix enim vigesima particula res mea paterna existimari potest in comparatione prædiorum Ecclesiæ, quæ nunc ut Dominus existimor possidere. In qualibet autem, maximè Africanarum Ecclesiarum, hic noster non dico presbyter, sed Episcopus, sit comparatus pristinis opibus suis, etiam si animo dominantis egerit, pauperrimus erit, &c.

Idem

Idem Tract. 6. in Ioan. Tom. 9. colum. 59. d.

Villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt, proferunt testamenta hominum. Ecce ubi Gajus eis donavit fundum Ecclesiæ, cui præerat Faustinus, &c. Et mox. Nam nostis fratres mei, quia villæ istæ non sunt Augustini. Et si vos non nostis, & putatis me gaudere in possessione villarum, Deus novit: ipse scit, quid ego de illis villis sentiam, vel quid ibi sufferam, &c.

Conclusio IV. Catholicorum.

AD potestatem Ecclesiasticam pertinet non tantum prædicare verbum, & porrigere sacramenta, sed & subditos quoscunque corripere, ab officio indignos suspendere, excommunicare, leges ferre, & in cõmuni, instituire omnia, quæ facere possunt ad gloriam Dei, & salutem fidelium.

Augustin. in Psal. 44. Tom. 8. colum. 417. a.

Ergò illorum (Apostolorum) abscessu deserta est Ecclesiæ absit. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Quid est pro patribus tuis, nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi, &c. At Apostolos illa, de quibus Conclusio est, faciendi potestatem habuisse, nemo est qui negare audeat.

Idem de corrept. & grat. cap. 3. Tom. 7. col. 1327. b.

Ergò, inquit, præcipiant tantummodò nobis, quid facere debeamus, qui nobis præsumunt, & ut faciamus orent pro nobis; nõ autem nos corripiant & arguant, si non fecerimus. Imò omnia fiant, quoniam Doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant si nõ fierent, & orabant ut fierent.

Idem Lib. de fide & operib. cap. 2. Tom. 4. col. 57. b. c.

Neque enim quia illam primi populi commisionem Moyse Dei famulus patientissimè perferebat, ideò non in multos etiam gladio

gladio vindicavit. Et Phinees sacerdos adulteros inventos ferro ultore confixit. Quod utiq; degradationibus, & excommunicationibus significatum est esse faciendum in hoc tempore, cum in Ecclesiæ disciplina visibilis erat gladius cessaturus.

Idem Epistol. 236. Tom. 2. colum. 886. c.

Ego certè Presbyterum, & qui die jejunii, quo ejusdem loci etiam Ecclesia jejunabat, valedicens collegæ suo, eju'dē loci presbytero, apud famo. am mulierē, nullum ecum clericum habentem, remanere, & prandere, & cænare ausus est, & in una domo dormire: removendum ab officio presbyterij arbitratus sum, timens ei deinceps Ecclesiam Dei committere.

Conclusio v. Catholicorum.

Legibus, & constitutionibus horum parere & obtemperare in conscientia tenentur omnes illorum subditi; idque quamdiu contra Deum, Verbum, & Legem ejus nihil præceperint.

August. Epistol. 152. Tom. 2. colum. 695. a. b.

Nolite ergò esse ingrati tantæ misericordiæ Dei (alloquitur autem populum nolentem acquiescere definitioni Cōcilij contra Donatistas) quæ per istam diligentiam vobis ministrata est. Nulla excusatio jam remansit, nimium dura, nimium diabolica sunt hominum corda, quæ adhuc tantæ manifestationi veritatis oblistunt.

Idem Augustin. Epistol. 154. ad Publicolam Tom. 2. colum. 705. c. d. quæst. proposita an viator victus famis necessitate, si nil uspiam invenerit, nisi cibum in idolio positum, mori potius debeat fame, quàm cibū istum sumere? eam his verbis definit.

Aut certum est esse idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergò certum est esse, melius Christiana virtute respuitur, si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo con-

T scien-

scientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur. Vbi certè abstinentiæ hujus ab isto cibo ratio nulla reddi potest, nisi præceptum apostolicum.

*Idem Serm. 62. de Temp. Tom. 10. colum. 719 a. In
Quadragesima non jejunare, peccatum esse, ex
ipse affirmat.*

Aliis diebus jejunare, remedium est, aut præmium; in Quadragesima non jejunare, peccatum est; & tamen neq; hujus rei obligatio est, nisi ex constitutione & præcepto vel Ecclesiæ, vel Apostolorum. Huc referri possunt omnia, quæ idem vir, & Doctor sanctissimus acerbissimè dixit & scripsit in hæreticos, sacris Concilijs temerè obstrepentes.

*Laus Deo, Beatissimæ Virgini & Matri
Salvatoris nostri Iesu Christi, & om-
nibus Sanctis eius, &c.*







*INDEX OMNIUM ARTICULORVM
de quibus toto hoc opere agitur.*


ARTICVLVS	1	De Vnitae essentiae Divinae, ac de tribus personis.	col. 2
	2	De Peccato Originis.	col. 3
	3	De Persona & duabus naturis Christi.	8
	4	De Iustificatione.	9
	5	De Ministerio docendi Evangelij, & administrandi Sacra- menta.	15
	6	De Fructibus Fidei seu bonis operibus.	19
	7	De Ecclesia.	25
	8	De Hypocritis & malis admixtis Ecclesiae.	32
	9	De Baptismo.	ibid.
	10	De Coena Domini.	37
		De Eius Transubstantiatione.	ibid.
		De Praesentia & permanentia Christi in Eucharistia ex- tra usum.	38
		De Eius Adoratione.	39
		De Eius Oblatione.	ibid.
	11	De Confessione.	40
	12	De Poenitentia.	43
	13	De usu Sacramentorum.	51
	14	De Ordine Ecclesiastico.	53
	15	De Ritibus Ecclesiasticis.	54
	16	De Rebus Civilibus.	56
	17	De Extremo iudicio.	57
	18	De Libero Arbitrio.	ibid.
	19	De Causa peccati	58
	20	De Iustificatione & bonis operibus iterum.	59
	21	De Cultu Sanctorum.	68.

*ARTICULI IN QUIBUS RECEN-
sentur Abusus mutati.*

ABVSVS	1	De Vtraque specie.	col. 74
	2	De Coniugio Sacerdotum.	76
	3	De Missa.	81
	4	De Confessione.	89
	5	De Discrimine Ciborum, cum quinque Catholicorum su- per hac re conclusionibus.	93
	6	De Votis Monachorum cum novem super hoc Catholi- corum conclusionibus.	104
	7	De Potestate Ecclesiastica, cum quinque Catholicorum de eadem conclusionibus.	116.







Th
1162